SPONGIA QVA ABSTERGVNTVR CONVITIA ET MALEDICTA EQVITIS POLONI CONTRA IESVITAS.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AVTHORE.

STANISLAO RESCIO.

CRACOVIÆ. A. M.D.XC.

Recuſa NEAPOLI,
Apud Ioſephum Cacchium. M. D. XCII.

HIEREM. 44.

MISI ad vos, omnes ſeruos meos Prophatas, de nocte conſurgens; mittenſq; & dicens. Nolite facere verbum abominationis eiuſcemodi, quam audiui.

I. CORIN. I.

FIDELIS Deus. per quem vocati eſtis in SOCIETATEM filij eius; Ieſu Chriſti Domini noſtri.

I. IOAN. I.

QVOD vidimus, & audiuimus, anunciamus vobis, vt & vos SOCIETATEM habeatis nobiſcum; & Societas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto.

SENECA.

NIL, in rerum natura, tam ſacrum eſt: quod ſacrilegum non inueniat.

SPONGIA,
QVA
ABSTERGVNTVR CONVITIA, ET MALEDICTA, EQVITIS POLONI CONTRA IESVITAS.

ATHEVS sis, an Iudęus; Hæreticus, an Schiſmaticus; ater, an albus? Ieſumaſtyx procaciſſime, ignoro. Catholicum eſſe non credo: Chriſtianum vix puto; Iuuenem, quem ſimulas, eumq; leuiſſimum, nugaciſſimum, maledicentiſſimum, ventoſiſſimum concedo. & hoc ipſo nomine non verborum, ſed virgarum flagellis digniſſimum ſtatuo. ita nil maturum, nil meditatum, nil ſobrium, nil ingenuo dignum, nil veritati conſentaneum; ſed omnia ſingulari ſtultitia, & inhumanitate oblita, conuitijs & maledictis farta; nec ſolum veſtigia; ſed ipſa falſitatis, rebellionis, & ſeditionis cubilia, in ea, quam

contra Ieſuitas ſuſcepiſti actione perſpicio. In qua ſi quā voluptatem maledicendo concepiſti; dabo operam, vt verum audiendo amittas. Sed tuam, ò patria chariſſima, miſerrimam faciem prius deplorabo, in qua CHRISTI iſte neſcio quis perduellis, audacia pro ſapientia armatus, libertateq́; tua, & indulgentia abuſus, iuuenilem ſuam ferociam, videri vult conſilium, & tanquam è cœlo delapſus, in ſubſellia Senatorum inuolat: conſulendi decernendiq́; partes vſurpat; manum amatorijs leuitatibus fœdatam, ad Reipub. moderationem admouet: & qui tacere nunquam adhuc didicit, loqui in conſpectu Magnatum, legeſq́; Draconicas, libertati noſtrę repugnantes figere, tanquam in Megeræ pyxide calamum intingens, non erubeſcit. Homo; quem ob ętatis imbecillitatem, cenſoriam iſtam virgulá, eorum quos docendos & mouendos ſuſcepit, intelligentiſsimorum Senatorum autoritati ſubmittere, & in Academico adhuc puluere, aut in Grammaticorum ſcholis, ſub magiſtri ferula ſedere, vapulareq́; oportebat. Quam adoleſcentis audaciam cùm plenam fraudis, plenam periculi, plenam temeritatis, ſumma cum patrię turpitudine coniunctam, & omnium in vtraque Repub. ſententijs damnatam atque reprobatam oſtendero; vim ingentem mendaciorum, quæ iſte ad inſaniam effutijt, calumniarumq́; acerbitatem, quibus actionem ſuam infar-

ſit,

ſit, breuiſsima oratione refutabo. Non tamen agá ſummo iure, nec omnibus veſtigijs, omnes huius nugatoris calumnias perſequar: eligam ea quę maximè excellunt, & in quibus videre poſsitis omnes iſtius ineſſe culpas maximas; Hæreſis, perfidiæ, dementiæ, contumelię, ſeditionis, rebellionis, ſummi in Deum, in Reges, in Leges, & in omnes bonos cõtemptus. Nam ſi adoleſcentem vobis denudarem à pectore, cicatrices proculdubio aſpiceretis non ab hoſtibus Reipub. ſed in mulierum contubernijs ſuſceptas; nec eſſet quiſquam in patria, qui illum mori ſatis eſſe putaret. Illud autem in primis mirari ſatis nequeo, quòd Actorem hunc, iſtæ Muſę, quarum amator videri vult, nec intelligentiorem, nec manſuetiorem reddiderunt. Nam ſi ſe hominem eſſe meminiſſet, rationem bono ſibi conſilio à Deo immortali datam, in fraudem bonorum non conuerteret: vicíſsim autem niſi ſe iuuenem oblitus eſſet; tacendi, non loquendi; diſcendi, non docendi; obtemperandi, non imperandi partes vſurparet: & veſtram præterea ſapientiſsimi Senatores autoritatem, & prudentiam non contemneret; niſi veterem illam dignitatem & ſeueritatem vos amiſiſſe putaret. quod certè putat, cùm in omnia omniũ veſtrũ, munera & officia furenter & licentiosè inuolat: regendæ Reipub. artificium ſibi arrogat: ſe vnum in illius videndis vulneribus lynceum, reliquos om-

nes talpas putat: quaſi hoc eſſet proprium Equitis Poloni officium (huius enim vocabuli ſplendore aures veſtras reddere ſitientes deſiderat) rerum omnium ordinem ſurſum deorſum agere, flammas vn d s miſcere, imma ſummis paria facere. cùm tamẽ ſcientis ſit (ait Plato) non diuitis, de quacunq; re bene conſulere. Nam vt Æmon ille huic noſtro diſsimilimus adoleſcens in Antigone loquitur.

Quicunque ſe ſolos ſapere, linguaq; vi
Vel pectoris pollere, quam alij non habent,
Exiſtimant; iſti retecti, ſæpius
Comperti inanes ſunt.

Equidem apparet Tyronem iſtum nunquam illud Eccleſiaſtici ſapientis præceptum auribus vſurpaſſe: In medio Magnatum non præſumas: & vbi ſunt ſenes non multum loquaris. Nec illud; Adoleſcens, loquere in tua cauſa vix: ſi bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum. in multis eſto quaſi inſcius, & quaſi tacens ſimul & quærens. Nec illud etiam; Cùm Roboam reprobato ſenum conſilio, iuuenum ſentẽtiam ſecutus Regnũ Iſraelis amiſit.

Illud ſtupeo, quod ne in Cicerone quidem legerit; Adoleſcentiæ ineunti, maximam ineſſe imbecillitatem conſilij. Multa (ait ille) in noſtro collegio præclara ſunt, ſed hoc in primis, quòd vt quiſq; ætate antecellit, ita ſententiæ principatum tenet.

quodq;

quodq́; illud in Diuino Platone non obſeruauerit; Tacere debent coram ſenibus iuniores, cedere illis locum atque aſſurgere,& vt parentes colere. O fili (ait Athenienſis ad Cliniam) iuuenis adhuc es,nec dubito quin progreſsio temporis faciat, vt de multis aliter,quàm nunc ſentias: expecta igitur oro, vt tunc de rebus maximis iudices.Homerus quoque;

Αἰεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται·
Οἷς δ' ὁ γέρων μετέῃσιν, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω
Λεύσσει, ὅπως ὄχ' ἄριστα μετ' ἀμφοτέροισι γένηται.

Ideſt: *Semper vero iuniorum virorum mentes pendent*
Quibus verò ſenex interfuerit ſimul præſenter & future
Proſpicit, vt valde optimè cum vtriſq; agatur.

Sed apparet profectò Actorem iſtũ nullas iſtiuſmodi ſobrias cogitationes habuiſſe,cùm ſcriberet. Veriſimilius eſt ea,quę ſunt iuuenum,mente & animo pertractaſſe; quo veſtis genere,quo calcei colore, qua forma pilei, ad conuiuia accedendum? quis tonſuræ modus ſeruandus? & quemadmodũ in muliebri cõſeſſu, coronam vnam in capite, alteram in collo, reticulumq́; ad nares ſibi apponeret plenum roſæ? Sed verba mittamus,ignem quę habeant.

Poſteaquàm ergò viſum eſt homini ventoſa ſua loquentia præſidenti de eodem,quod aiunt,oleo & opera,& Pontificis Romani authoritatem cõtumeliç aculeis pungere: & Regum Chriſtianorum maieſtatem carpere: & regni Senatores cœcos & mu-

tos facere, & Dei ſeruos lacerare: rebuſq; clariſsimis tetras tenebras obducere; (videte quæſo Senatores quàm multa ſunt in vno iſtius calamo vulnera) CHRISTI nos viciſsim cogit charitas, vt veritatis propugnatione ſuſcepta, Pontificem contumelia, Reges inuidia, Senatores iniuria, Dei ſeruos calumnia liberemus; rebuſq; omnibus lucem afferamus. Non quòd exiſtimemus, tutiorem vitam noſtro præſidio victuros in patria Ieſuitas, (quid enim ab adoleſcentis garrulitate periculi?) Sed vt exemplum ſequamur humanitatis & officij: vt contagionem iſtius impudentię imitandæ præcludamus: vt ne labor quoque noſter ijs defuiſſe viris videatur; quorum labore fit, vt religio chriſtiana minus in patria noſtra, quàm ante laboret. Nuſquam eſt tutiùs calamum ſtringere, nuſquam iraſci, & excandeſcere, nuſquam etiam errare tolerabilius, quã cùm in amore nimio (vt loquitur B. Auguſtinus) veritatis, & in reiectione nimia falſitatis excandeſcimus. Qui enim non ſatiatur amore erga IESVM (ait B. Chryſoſtomus) hic nec vnquã ſatiabitur pugna aduerſus eos ſuſcepta, IESVM qui oderunt. Gregorius verò Nazianzenus; Nequaquam, ait, cũ feruorem damnare debemus, abſque quo nihil fieri pręclarè, ſiue pietatem, ſiue virtutes cæteras ſpectes, poteſt. Et B. Baſilius; In alijs modeſti ſumus, inquit, & omnibus reliquis humiliores; vbi verò Dei

negotium periclitatur, cunctis alijs contemptis, ad Deum ſolum reſpicimus. ita vt gladij, beſtiæ, vngues carnem diſſecantes, potius deliciæ nobis ſint; quàm tormenta. Deum precor vt mihi iubeat ex alto, ſicut Poëta loquitur πομπαῖον ἐλθεῖν οὖρον. i. deductorium venire ventum. Te igitur appello, fili tenebrarum. Ais. *Omnibus quidem chariſſimam eſſe patriam; illos tamen propter iniquitatem temporũ, in hanc cauſam multis odioſam non audere deſcendere, ne illorum oratio, multorum varias voces ad inuidiam & odium excitaret.* Ego verò patriç chariſsimæ etiam atq; etiã gratulor, neminem in ea inuentum eſſe prçter vnũ. te, ita impudentem, qui niuem auderet atram dicere, aut arma nefaria pro falſitatis propugnatione, contra vim veritatis aſſumere. Suadeo tibi vt circumſpicias, quàm recto cõſilio ſapientiſsimis Regni Senatoribus maculam hanc aſpergis: aut quo tuo commodo reliquorum ciuium præſtantiam laceras; cùm ita cæcos omnes putas, vt præſentem patriæ peſtem non videant: ita verò mutos & inuidiç metu conſternatos; vt ad çquiſsimç cauſæ propugnationem deſcendere, proq; ciuium capite verba facere nemo audeat. Quam tuam audaciam, quibus legum vinculis, vtrum eculeo, an exilio refrenare volet, Ampliſsimus Senatus, ipſe viderit; nos tibi vitam non inuidemus; mentem optamus meliorem: non enim hominem, ſed hominis errorem

rorem odiſſe didicimus,& quò magis amamus ho-
minem; hoc magis perire cupimus errorem. At
vide,quàm tui oblitus es. Animi tui anguſtiæ, ne
perorantium quidem conſuetudinem, aut Rheto-
ricarum pręceptionum ordinem capiunt. Quorũ
enim tibi beneuolentiam cõciliare debebas initio,
eos in ipſo actionis tuæ veſtibulo, pungis illicò, &
omniũ intemperantiſsimè in Auditores tuos, gra-
uitate (vt ais) doctrina, & rerum geſtarum gloria
præſtantes,iuuenilis amẽtię tuæ crapulam exhalas;
cùm ereptam illis affirmas hominum potentia, ini-
quitate,crudelitate,non ſolùm dicendi facultatem,
ſed etiam ſentiendi libertatem. Abſit huic tuo ver
bo veritas: auertat à patriæ capite infauſtum omen
hoc Deus: Non cadat in Nobiliſsimos animos iſta
abiectio. An tu Equites omnes mortuos putas?
Id enim eſt Equiti Polono liberum eſſe,quod viue-
re: & viuere,quod liberum eſſe. Rumparis neceſ-
ſe eſt μισόφιλε. Equitem Polonum in Regno, niſi
vel liberum, vel mortuum,non videbis. ita,vt non
ob aliud affirmare te voluiſſe putemus, ereptam Po
lonis,neſcio quorum hominum potentia,ſentien-
di libertatem; quàm vt iſto quoque loco notas ma-
ximas,immò ſedem, immò cubilia mendaciorum
tuorum videamus. Sed, in rebus notiſsimis non
moremur. Illud tibi non poſſum non gratulari,
quod perorante te non acciderit,quod olim Sexti-

lio Enæ Poetæ pingue quiddam, & peregrinum, in ſuo carmine more Cordubenſi ſonanti. Is proſcriptionem Ciceronis in domo Meſſalę Coruini recitaturus, Pollionem Aſinium aduocauit, ac ita cœpit;

Deflendus Cicero eſt, Latiaq; ſilentia linguæ.

Id verò audiens Pollio, vir diſertiſſimus, iniquo prorſus animo tulit, Latinã Linguã ex vrbe Roma, cũ Cicerone in exiliũ actã, audire. Cõſurrexit itaq;, & è media concione abijt dicens. Ego illum auditurus non ſum, cui mutus videor. Sic tu magnam profectò debes gratiã auditoribus tuis, quòd quos in Repub. tanquam cœcos, & mutos accuſaſti, te audire garrientẽ perrexerint; ſurdos propterea fortaſſe non dixiſti, ne inſanus haberere; ſi ſurdis, de Repub. loqui perrexiſſes

Quod Repub. vulnera memoras, veterem comitiorum conſuetudinem abrogatam, nouam introductam, priſtinum Electionis morem mutatum, barbaros milites, exercitus numeroſos, rapinas, cædes, incendia, pericula, minas, clamores, contumelias, lachrimas, depopulatos agros, Nobiles eiectos, virgines abreptas, Cracouiam obſidione preſſam, cæde & incendijs vaſtatam.

Vtinam in iſtiuſmodi tẽpora patria chariſsima nunquam incidiſſet: ſed iſtius cladis origo, nota apud omnes & peruulgata eſt. Nos non bellorum & ſeditionum, ſed veritatis defenſionem ſuſcepi-

mus. Optima (ait ille) ciuilis belli defenſio, obliuio eſt. Si ab illis quoq; conſilijs, tui ſimiles iuuenes abfuiſſent, quos, & tu noſti, & ego prętereo; nō tantis tempeſtatibus pulſatam Rempub. vidiſſemus. Sed abijt huius tempus querelę. Caput actionis & accuſationis tuæ videamus. Ais: *Ego Romanæ Eccleſiæ propemodum alumnus, dico hanc vnam monachorum familiam, quæ à IESV ſaluatore nomen habet, ad perniciem multarum Rerumpub. eſſe inſtitutam.*

Si dixiſſe, viciſſe eſt; herbam vt victori, porrigo. At quàm abs te facilè dicitur, tam à me facile negatur. Crimen audio ſine teſte, ſententiam ſine conſilio, damnationem ſine defenſione. Tu quidem quod dicis, Aiacis clypeum putas: ego Iouis ſandalium ſtatuo: teq; illi ipſi Aiaci flagellifero per omnia ſimilem eſſe volo, qui cum Vlyſſę de Achillis armis in Græcorum iudicio contendebat. à quibus cùm eſſet abiudicatus, præ iracundię impetu in furorem actus, gregem pecorum inuaſit, exiſtimans ſe Græcos omnes trucidare. Arietem autem qui cęteris eximia magnitudine eminebat, cùm Vlyſſem putaſſet, ligatum flagellauit. Ita tu de ſtatu mentis ob odium veritatis deturbatus, cùm cupias Catholicos omnes vnā ceruicem habere quàm prçcideres, Ieſuitas potiſſimū, quaſi coniuratos Euāgelicorum hoſtes, verborū flagellis emendare, decreuiſti. Quid ſi verò ego, huic tuo clypeo clypeum, vmbonē vmboni

boni, haſtã haſtæ, galeã galeę, viro virũ oppoſuero? manu tanges ipſe tua, quàm ſit potẽs veritas, quàq; ſit difficilis eius expugnatio. Veritas enim falſitatem, non falſitas debet expugnare ueritatem.

Dico itaq; : Ego Romanæ Eccleſiæ nõ propemodum ut tu, (vox hęc non niſi Euangelicorum eſt) ſed per omnem modum, ut ij ſunt qui ſe Chriſtianos eſſe meminerunt, alumnus; hanc vnam familiam, quæ à IESV ſaluatore nomen accepit, ad ſalutem Chriſtianæ Reipub. eſſe inſtitutam. Tibi certè Eccleſię Romanæ propemodum alumno, propemodum; mihi verò per omnem modum alumno, per omnem modum erit fides adhibenda. Nonne rectè dixi initiò, quòd te Chriſtianum non puto. An licet quemquam hominem lynceum vocare, qui propemodũ cæcus eſt? An eſſe ſanus quiſquam poteſt, qui propemodũ mortuus eſt? An ſapientem vocabis, qui ꝓpemodũ inſanus eſt? Si propemodũ Eccleſię alumnus es, alumnus nõn es. Si propemodum vir bonus es, vir bonus non es. Profectò ſcitum eſt vetus illud verbum: facilius eſſe decem Elephantes ſub vna veſte, quàm vnum Cynedum occultare. Tu quod impij faciunt in circuitu ambulas. Sed ipſa veritas quæ nihil timet, niſi taceri, per tuum iugulum, inuito te, erumpit. Tertulianus certe Hæreticos omnes infideles appellare nõ dubitat: propterea quòd adhuc de fide diſputant. Qui enim

diſputat,ait ille, nondum credit; qui nondum credit,nondum Chriſtianus eſt. Quid diceret ſi te propemodum alumnum Eccleſię audiret?Profectò paganum propemodum,& infidelē ſtatueret. Sed hęc mittamus.Nil mirum eſt cōſilium intelligendi,adoleſcenti loquaculo, iſto quoq; loco defuiſſe. Nondum fortè per ętatem audiuerat. nō eſt bonitas eſſe peſſimis meliorem. Verùm tu cauſas & rationes moliris, cur ita de hominibus iſtis ſentias; quas equidem rectè putas, perarduum tibi fore demonſtrare.Audiamus. Ais *Ieſuites à veſtris Theologis peſtē eſſe pronuntiatos,cùm in primario templo Lublinenſi, tum in ſummo templo Cracouienſi.*

Si veſtros Theologos illos animarum piratas intelligis,quos verbi vocatis Miniſtros,falſum eſt peſtes illas in ſummis vtriuſq; vrbis templis,verba ad populum pro concione habuiſſe. Chriſtus enim in illis templis ex Maria Virgine in Bethleem natus, non Antichriſtus Iſlebienſis Luterus, ex tetro incubo ſatus; non Caluinus ſtygmaticus, non Beza Sodomiticus,non Volanus, non Gregorius,non Bieſaga,non Paklepka,non Vardega hæreti us,prædicatur. CHRISTI Dei viuentis, non Ochini, aut Blandratę verbum,è ſuperiore loco annunciatur.Si cùm ſis angelus Sathanæ, transfiguras te in Angelū lucis,& veſtros Theologos intelligi vis Eccleſię Catholicę Romanæ doctores,& concionatores; ne ſic

quidem

quidem viciſti. Meminiſſe oportet, inter duodecim Apoſtolos Iudam, inter ſeptem Diaconos Nicolaū extitiſſe; inter decem à lepra mundatos, vnum ſolū regreſſum debitas Deo gratias pro reddita ſanitate reddidiſſe. Fūgos aliquos eſſe oportuit (ſi modo verum eſt quod ais) aut intelligentium virorum carcinomata; (non enim quenquam nominas) qui non ponere, ſed proijcere verba didicerunt; nec eſſe nefas putāt reſorbere, quod vomuerunt. Iniuriam infert cœteris, qui vnius in omnibus ſententiam ſequitur. Lippis quoq; oculis, lumen ſolis moleſtum eſt; & omnis ægrotanti amara eſt medicina; idq; etiam te ipſum animaduertiſſe argumento eſt. Paulò poſt enim ad ſummorum virorum autoritatem recurris: ut uelut hedera ſuſpenſa, ſententiàm tuam facias vendibiliorem. Illius fortaſſe memor, quod Hecuba ad Vlyſſem apud Euripidem:

λόγος γὰρ ἐκ ἀδοξούντων ἰὼν
κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς οὐ ταὐτὸν σθένει.

Nam ab inæſtimatis proficiſcens oratio,
Et ab æſtimatis haud quaquam tantundem valet.

Ego uerò fatebor quod res eſt. Video iſtò loco intelligendi conſilium tibi non defuiſſe; ſummos enim patrię noſtrę Heroas memoras, qui totas ętates in Reip. negotijs contriuerunt: qui ſi à partibus tuis ſtarent, ex ſtulto inſanū te facerent prę gaudio. At ingenij tui imbecillitas altitudinem conſilij nō

capit

capit, quo iſti abundant. Sic enim in patria noſtra in omni laudis genere vixerunt; ſic clauum Reipu. moderati ſunt; ſic omnia conſilia ad ſalutem explicata ſemper habuerunt; ut nefas ſit exiſtimare, quá tu patrię peſtem putas, eam ipſos fuiſſe in patrię viſceribus toleraturos, peſtem ſi putaſſent. Lynceis ſunt oculis, longiſſimè omnia proſpiciunt; emunctas nares habent, facillimè omnia odorantur: patriam uero ſic amãt, ut præ illius ſalute omnia quæ Sol iſte aſpicit, inferiora ducant. Iſti peſtem non viderent? iſti peſtem non intelligerent? iſti peſtem non auerterent? Nimis iniquus es in tam laudatos viros, maſtigia; ſi tam acres, & generoſos animos hominum iniquitate cogi poſſe exiſtimas, ut ardenti patrię flammas iniectas negent.

Tria ſunt, ait Nazianzenus, quibus inſtructum eſſe conſiliarium bonum oportet: rerum experientia, amore publici boni, & oris libertate. Tu ſi quidquam eorum tantis viris adimis, Senatores eos, Regniq; conſiliarios neges neceſſe eſt: quo tuo bono, dies te docebit. Si illum ipſum quem nominas Zamoiſcium, exercitus Ducem, aliquãdo legiſſes, (cœteros dignitatis & honorum gradus prętereo, virtutes enim Zamoiſcij magis ſuſpiciendę ſunt, quàm honores) illum eſſe verum Senatorem, in eius de Senatu libello didiciſſes; qui ita ſemper vixerit, ut omnia conſilia, atq; facta ad ſolam honeſtatem referat

rat: non ſibi ſed patriæ ſe natum putet: nec vlla in poteſtate, auaritię prędam, aut libidinum fructus, ſed inſtrumenta adiumentaq́; moris maiorum, diſciplinæ, ac æquitatis tuendę, & conſeruandę, quęrenda arbitretur: nullaſq́; ſollicitudines, nullos labores iuuandę patrię cauſa, recuſet: nulla cupiditate, nullis voluptatum illecebris, nulla commodorũ ſpe, nullo periculorum metu, animum ſuum, non modo flecti, ſed ne tentari quidem patiatur. Ita profectò res habet. Senator ardens amore patrię, non quid paſſurus, ſed quid acturus ſit, aſpicit. Mori poteſt; de ſtudio & conſilio iuuandi, potentia vlla, iniquitate, crudelitate deduci non poteſt; vultu, fronte, oculis, voce, manu, conſilio, re prodeſſe Reipu. non deſinet: ſiquid obſtiterit, remouebit: ſiquis fauces oppreſſerit, etiam tacendo iuuabit. Fingas quę voles, mendaciorum architecte, ſapientiſſimi Senatoris Miſcouij Epiſcopi Cracouienſis. verba dabis Illuſtriſſimo Præſuli, huius quoq; calumnię rationem. res enim longè aliter ſe habet quàm narras. Accipe, quod ſi negare voles, non video cur te hominem putem. Miſcouius Noſcouio in Epiſcopatu Plocenſi prius acceſſit, poſtea ſucceſſit. Collegij Pultouienſis fundamenta iacta inuenit, auxit, fouit locupletauit, promouit: paterno ſemper animo, vultu, fronte, oculis, omni hilaritate, Ieſuitas omnes complexus eſt; & vniuerſum Collegij ſtudijq́; Pultoui-

touienſis progreſſum, Ieſuitarúq́; operas non ſolum non impediuit, ſed etiã promouit. Ad Cracouienſem uerò trãſlatus, Epiſcopali ſua autoritate, & templum S. Barbaræ, & Eccleſiam S. Stephani, Parochialem vocant, eiſdem attribuit. An ut in eis Eccleſiæ Romanę dogmata euertant? An ut ſeditionum incendia excitent? An ut omnium in Repub. mores bonos, & omnium comprobatione inſtitutos peſſundent? Hoc tu ſi putas, idem eſt ac ſi putares Miſcouium nec Epiſcopum eſſe; nec bonũ patrię ſuæ ciuem. Non verborũ, ò iuuenis vlmee, ſed virgarum flagellis tibi iſta erunt expianda. Zamoiſcium uerò Cancellarium Ducemq́; fortiſſimum, optimũ ut Iſocratis verbis utamur, Regis, ac Regni theſaurum, quod tecum ſentire fingis; toto, quod aiunt, cęlo, erras. Non diſſentit ille; ſed conſentit cum Ieſuitis. Ea quippe illis miniſteria in templis, cœteriſq́; Eccleſiaſticis officijs & muneribus concedit, quę ipſi ſponte ſua, in ſe, pro gloria Saluatoris ſuſceperũt. Hoc nullo pacto ferri oportere iudicat, quod & ipſi fugiunt, & quantum in ipſis eſt, detrectant; ut ſcilicet ad Reipub. negotia ſe ingerant. Ac ne ſis neſciens, narro tibi ò Ieſumaſtix, quod mihi credas velim, Mortis inſtar Chriſti ſeruis accidere conſueuiſſe, quoties à ſermone Dei (ſiue enim orant, Deo loquuntur; ſiue legunt, Deus illis loquitur;) ad conſuetudinem ſęculi pertrahuntur. Sępe accidiſſe au diui-

diuimus, vt nonnulli Germaniæ, Galliæ, Poloniæ quoq; noſtræ Principes,datis ad Generales Ieſuitarum præpoſitos litteris,diligentiſsimè poſtularunt, vt aliquot è Societate & è ſuis contubernijs, in eorum aulis viuere paterentur? ad quorum aſpectum & correctionem aularum aſſeclæ erubeſcerent,atq; ad officium reuocarentur.Scio quoq; ſæpisſimè negaſſe Præpoſitos quod petebatur: cauentes ne ſocij quę ſemel repudiarunt,ſecularibus ſeſe viciſſim negotijs immiſcerent. Principes autem ad ipſum Romanum Pontificem Præpoſitorum Prępoſitum,litteras dediſſe; rogantes, vt autoritate ſua generali præciperet,quod ita valdè poſtulabant. Scio hos ipſos Generales in genua prouolutos ſupplicaſſe viciſsim Pontifici, vt ne rem inuidiæ periculiq́; plenam præciperet,nec vllos extra Societatem & contubernia viuere ſocios pateretur; ſed repulſam eſſe paſſos: ſeriaq́; mandata accepiſſe, vt Principum petitioni gratificarentur. Hæc tu vera eſſe credas oportet. Non enim iſto loco Alcinoi Apologum, aut Aſini mortes recitare decreuimus.Edam & Principum nomina: teq́; rerum teſtimonijs, etiam ſi reluctceris, opprimam. Talis fuit in Germania ſuperiore Archiepiſcopus Moguntinus & Treuerenſis, S.Romani Imperij electores: Talis Epiſcopus Bābergenſis, Baſilienſis, Herbipolenſis, Paſauienſis, Archiepiſcopus Salsburgenſis, Abbas Fuldenſis.

Tales Sereniſsimi Archiduces Auſtriæ: Tales Sereniſsimi Bauarię Duces, Albertus & Vilhelmus: Talis fuit in Germania inferiore Princeps Illuſtriſsimus Ioannes ab Auſtria; & qui illi in gubernandi munere ſucceſsit Farneſius Dux Parmenſis. Talis fuit in Gallia Dux & Cardinalis Lotaringię: Tales in Hiſpania & Luſitania, omnes ferè Principes & Epiſcopi. Stephanus porro Rex Polonię Sereniſsimus, de cuius laudibus nulla vnquam ætas conticeſcet, nonne ex intima Italia virum doctiſsimum, Toletum, Belarminum, Gregorium de Valétia, euocare, ad aulam ſuam conatus eſt? Nonne qui feliciſsimè regnat Sigiſmundus tertius, accerſito in arcem Cracouienſem viro venerabili Ioanne Paulo Campano Prouinciali, diligentiſsimè poſtulauit, vt ad aulæ ſuę comitatum, Petrum Scargam verbo & opere potentem adiungeret? non commemorabo Principes Illuſtriſsimos Radziuilos, qui in aulis ſuis præcipua quædam ornamenta deſiderari interpretantur, ſi nullos in comitatu ſuo habeant Ieſuitas. Viuūt itaq; in aulis Ieſuitę, ſed coacti: loquuntur de Repub. ſed interrogati. Iſte inquam ipſe, quem nobis opponis, ſapientisſimus Regni Cancellarius, tum à Nuncio Apoſtolico, tum à Prouinciali Regni Polonię, ſemel & iterum poſtulauit, vt ſibi in intimam Ruſsiam proficiſcenti, aliquos è Societate comites adiungeret, quorum opera tum in
refutandis

refutandis Schiſmaticis, tum in conuincendis Hęreticis,quoties ſe daret occaſio,vteretur. Sępè etiam Kniſsinium,& in alia loca, priuatę pietatis gratia, euocauit: eorumq́; potiſsimum opera in reuocanda ad Eccleſię ſocietatem Illuſtriſsima coniuge ſua Radziuila feliciſsimè vſus eſt. Peſtes ergo Zamoiſcius in Patrię perniciem aluit? peſtes ad ſuam conſuetudinem, peſtes ad menſam, peſtes ad conſiliũ adhibuit? Non cadit hęc immanitas in Heroicum illum animum. Faciliùs quiſquis iſta tua legerit, te mendacem eſſe perſpiciet, quàm hoſtẽ patrię Cancellarium. Sed quęſo te. An vnquam audiuiſti terrę fili,tam eſſe neceſſariam in aulis Principum viri boni pręſentiam,quam eſt neceſſaria in Repub. lex bona. Aſpectu enim,viſu,vultu,nutu,inceſſu, fronte,oculis vir bonus vbiq́; prodeſt. & eſt aliquid in quo vel iacentem, ſomnoq́; ſepultum tibi proponas imitandũ. Quare id? quia qui pura mente Deo quotidie ſeruiunt, lympidiorem rerum omnium cognitionem aſſecuti exiſtimantur; ob eius cui ſeruiunt,& in cuius conſpectu & pręſentia quotidie, mente,& animo obuerſantur,familiaritatem.Nam cùm homo facit quod vult Deus, facit viciſsim Deus,quod vult homo. Audi Scripturam. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorũ exaudiet. Summi quiq́; & intelligentiſsimi Principes, ſummos quoq́; & intelligentiſsimos viros ad

latus ſuum aluiſſe, inq; ſummo honore habuiſſe, atq; ad conſilium adhibuiſſe, perhibentur. Creſus Anacharſim, Antiochus Phormionem, Dionyſius Platonem, Alexander Ariſtotelem, Reges Ægypti Menandrum, Antoninus Frontanum, Traianus Pruſſeum, Veſpaſianus Baſſum, Rex Vngariæ Mathias Volateranum, Rex Poloniæ Sigiſmundus I. Mechouitam, Sigiſmundus II. Hoſium & Cromerum, Stephanus Socolouium, Muretum verò, Sigonium, Bellarminum vt haberet, laborauit; & qui nobis hodie fœliciſsimè imperat Sigiſmũdus Tertius, Scargam aulæ ſuæ ornamentũ, & quaſi quoddam morum frænum, diſciplinæq; domeſticę regulam putat. Ita maiores noſtri optimi & ſapientiſsimi viri, primos honorum & dignitatis gradus, tum in Senatu, tum in omni Repub. ſeruis Dei Sacerdotibus, & Epiſcopis deberi cenſuerunt. Scitum eſt illud quod Theodoſius cuidam interroganti reſpondit, Quibuſnam artibus aſſequi Princeps poſſit, vt & optimus & ſapientiſſimus euadat, Si inquit, & foris & in Conclaui, & in cęna, & in ambulatione, & in pace & in bello, bonorum & intelligentiũ conſuetudine delectabitur, cum ijsq; quotidie viuat. Omnium verò pulcherrimè Diuinus ille Chriſoſtomus. Quod ſi quis, ait, exiſtit, qui admiretur laudetq; Sacerdotem eum, qui ſibi ipſe viuens domi ſe contineat; ac multorum conſuetudinem

vſumq;

vſumq́; auerſetur, equidem hoc patientiæ ſpecimen aliquod eſſe dixerim, non tamen idoneum argumentum virtutis omnis eius, quæ illius animo ineſſe debet, affirmauerim. Neq; enim ſi cùm obdormirem, non deliqui; neq; ſi cũ non colluctarer, nõ cecidi; neq; ſi cùm non depugnarem, nõ percuſſus ſum, mirari oportet. Quamobrem etiam terreſtres illi Angeli, Dei contubernales, ex intima prodibant ſolitudine, inq́; medias vrbes in ipſorum aulas Imperatorum penetrabant, cùm vim Chriſti, vim Eccleſiæ, vim fieri ſeruis eius cognoſcerent. Exprobrabat olim Valens Imperator Arianus Aphraati Monacho, quòd in ciuitatem ex ſolitudine venerit. At admirabilis Aphraates. Si pax, inquit, Chriſti ouibus eſſet, domi manerem, ibiq́; quietè conſidens pro Imperio tuo orarem. Sed cùm multa inſaniæ caligo loca omnia occupauerit, & maximus vbiq; ſubrepat timor, ne à feris oues dilanientur, neceſſitas mihi quoq́; incumbit, vt vigilem, omnemq; funem moueam, ne quod grex Chriſti capiat detrimentum. Sic laudatus ille Iulianus, ocio & ſolitudine relicta, venit Antiochiam, vt aduerſariorum redargueret mendacium, & veræ fidei doctrinam deprædicaret. Ita fecit Flauianus Diodorus, & Secundus poſt Ioannem Eremicola Antonius eiuſdem Conſtantis temporibus.

Ita res habet ò bone, Sacerdos velut pædagogus

huma-

humani generis exiſtimatur. qui quantò magis Dei ſummi gloriam, proximiq; ſalutem amauerit, tantò propius, velut pius & miſericors medicus ad lectulos ægrotantium ſeſe adiunget, & læſas erroribus conſcientias, quaſi venam tangens, ſalutifera remedia, non ſolùm monſtrabit, ſed etiam admouebit. Sollicitus aſsidens, ad ſuſpecta tempora occurrens; nullum illi miniſterium oneri, nullæ cuiuſquã voculæ aut calumniæ graues erunt: dummodo ciuium ſuorum vulnera, plagæq; ſanentur. Et licet paſsim omnibus operam ſuam pręſtare paratus ſit, libentius tamen eius oculum curauerit, qui multis proſpicit, excubatq́; pro multis; libentius manum eius ſanauerit, quæ pro patria, quàm quæ in taberna gladium ſtringit, ſicut & naupegus, qui homo probus ſit, cupidius clauum fabricaturus eſt, ſi eum Imperatoris nauē orbem Chriſt. defendentis, quam ſi piſcatoris ſcapham gubernaturum cognouerit. & faber lignarius alacrius menſam, in qua Rex leges ſcripturus ſit, quàm aratrum vel plauſtrum compinget: ita & Philoſophus, aut quilibet vir bonus faciet, etiam ſi omnes in vniuerſum bona præditos eſſe mente velit: Principibus tamen viris ſe ſe libentius adiunget. quorum munus eſt bonas ferre, ſceleratas leges abrogare: probos, præmijs; improbos, pœnis afficere: Statumq́ue ciuitatis vniuerſum tranquillum, &

æquabilem conſeruare. Tales enim præcipuè expedit ſapientes, tales iuſtos, tales fortes, tales eſſe moderatos; per quos, reliqui omnes iuſti, intelligentes, & moderati ſint euaſuri. Sic Anaxagoras, ad Periclem ſe adiunxit. Sic Plato, cum Dione vixit. Sic Pytagoras, cum optimatibus Italiæ. Sic Cato, ex caſtris ad Athenodorum nauigauit. Sic Scipio Panætium accerſiuit. Nam qui cum priuatis agunt, ait Plutarchus, quem te non legiſſe video, ipſos ſolos efficiunt iuſtos, lenes, moderatos. At qui Principis mores prauos, vel iniquam abſtergit ſententiam, dirigitq́; ad officium: hic quaſi omnes in officio continet, quaſi totam in vno corrigit, moderaturq́; Rempublicam. Per vnum prodeſt omnibus. Idq́; te ſcire volui: ne deinceps tam improbè oſcites, cùm Ieſuitas, cùm Sacerdotes, & alios viros religioſos in Repub. verſari, aut ad latus Principum viuere, florereq́; conſpexeris. Pico Medico viro doctiſsimo quę tribuis, agnoſco. Scio quòd plurimis in patria vitam dedit: tibi verò ſi iam dudum Elleborum porrexiſſet, non tot inſani capitis excrementa in pagellas vomuiſſes.

Voces hominum, viduarumq; querimonias memoras: easq; arte & ingenio Jeſuitarum vaſis argenteis & omnibus ornamentis aureis ſpoliatas, ais.

Nos contra aſſeueramus: Nullius nos vnquam hominis lachrymas, & eiulatus audiuiſſe; nullum

vas argenteum & aureum in omnibus eorum contuberni js, & cœnaculis aſpexiſſe, quod ereptum dicitur. Diligunt illi quidem cum Propheta decorem domus Domini : idq́; ſummopere laborant quod Paulus præcipit, vt ea quæ Dei ſunt; omni adhibito ordine, ſumma qua fieri poteſt dignitate & cæremonia, Deo reddantur. Inde porrò fit, vt audientium & intuentium animi vehementiùs excitentur ad cultum Diuinum, aureis & argenteis ornamentis illuſtrandum. quæ equidem non dubito, quin veſtras Euangelicas cupiditates, illam inquam rapiendi clependiq; conſuetudinem magnopere irritent: cùm in templis & altaribus expoſita quandoq; vaſa videatis, quæ veſtra eſſe cuperetis. Mihi profectò cōtigit adhuc videre neminem, qui quidpiam apud Ieſuitas inuenerit, quod ſuum dicere poſſit. Lepidè quidam de Miniſtris & Apoſcopis Euangelicis dixiſſe perhibetur: Oculis eorum nil gratius occurrit, quàm mulier. Lingua nil loquitur expeditius, quàm maledicta in Papiſtas. Aures nil libentius audiunt, quàm rape, clepe, harpaga. Nares nil odorantur ſuauius, quàm exuſtorum Templorum & Monaſteriorum nidorem. Tactus ſolo tantum ſanguine Chriſtianorum delectatur. Nimis autem in patriam iniquus es iudex, nimis trux in eos quos appellas Senatores, cùm in tanta rapiendi conſuetudine, tantam in Senatoribus & ſubſel-

lijs,

lijs, indulgentiam profiteris, & ſuum cuiq; ius reddi negas. Syluam tu vt video latrocinijs infeſtam, patriam tuam putas; non Regnum legibus deſcriptum. in quo ſanè impudentiſſimè tricaris: quo nomine crede mihi, miniatum ſuo tempore funiculum non effugies. Tales olim gentilium philoſophos extitiſſe Eunapius memorat, qui cultoribus idolorum perſuaſerant; Chriſtianos in occultis antris, & intimis montium receſſibus, vim ingentem auri & argenti aſſeruare conſueuiſſe. At poſteaquam data eſſet militibus omnia ſcrutandi euertendiq; poteſtas, pro celatis vaſis, innumeras ſanctiſſimorum virorum reliquias, quas idem Eunapius vocat, ſalita damnatorum capita; pro veſte picta, horrida cilicia; pro cœnaculorum ornamentis, ſacros libros, pro reliqua ſuppellectili, nodoſos funiculos, ferratoſq; cingulos inuenerunt. Nil quippe Sanctorum contubernia precioſius habent quàm paupertatem; nec inter illos quicquam carius videtur, quàm ipſi. De Roffenſi Epiſcopo ſanctiſſimo Chriſti martyre vtrum aliquid vnquam inaudiueris; ignoro. Is cùm eſſet Henrici octaui Angliç Regis iuſſu in tetrum carcerem compingendus; Euangelici quidam Equites, tui ſimiles, aurea & argentea Epiſcopi vaſa ſpe deuorauerant. Cùm autem in eius conclaue furenter inuaſiſſent aç ferre

am ciſtulam reuulſiſſent, pro nummis aureis cilicinam veſtem, valde horridam; & aliquot funiculos nodoſos ſanguine imbutos, quibus corpus ſuum caſtigare conſueuerat, inuenerunt. Simile quiddam in exigua Hoſij Cardinalis hæreditate repertum fuiſſe, memoratur.

Quod ais: *Clamantur hæc in templis, in conſpectu Trinitatis, ante imaginem Chriſti, omnium Sanctorum & Sanctarum, ad commouendos Sanctos & Sanctas ab his qui religionibus Sanctorum & Sanctarum præſunt.*

Floſculi iſti, ô elegantiſſime orator, loquendiq; moduli, non niſi Euangelicorum ſunt, è loculis communioribus Philippi, aut è Caluini inſtitutiunculis excepti: At olim in Iuliani capite meditati, & in ſchola Luciani vſurpati; quibus tunc, æquè vt nunc, vobis Euangelicis, ludus, iocuſq; erat templa Dei, vocare lupanaria; Trinitatem, cerberum tricipitem; Chriſti imaginem, idolum Moloch; Sanctos & Sanctas, opprobrium hominum; eorumq; reliquias Dijs inuiſas hominibuſq;. Quàm egregiè porrò Amaſiam idoli Bethel ſacerdotem exprimis, qui & ipſe Amos Prophetę, verbum Domini ex ore Domini loquenti, rebellionem obijciebat: cùm ipſe Deo & mandatis eius apertiſſimè rebellaret. Sed ô fœlices Ieſuitas, quòd à vobis Euangelicis vituperantur, qui nihil vnquam niſi grande aliquod bonum, vituperare conſueuiſtis. Maximum innocen-

centiæ argumentum ſtatuo; accuſari ab Euangelicis. Non poteſt pietatis, non poteſt reus agi religionis; quem condemnat hæreticus.

Quod dolere te ſimulas plurimas ſcholas à Ieſuitis diſſipatas eſſe; & Academiam Cracouienſem celeberrimam, ſolitudine fœdam atq; ſqualidam; quæ literatorum iuuenũ quatuor millia aliquando numerabat, nulla antiqua ornamenta retinere.

Vtinam retineret. Sed quis iſtam fœdam ſolitudinem inuexit? Quis ſqualidam fecit? Quis antiqua ornamenta eripuit? Id quidem tu improbè diſſimulas; ſed ego præſultoris munere fungar. Florebat Academia Cracouienſis, quando patria vniuerſa Euangelicos tuos ignorabat: quando in ſinu & gremio tetri Cacodęmonis Euangelicorum magiſtri & miniſtri latitabant: quando nulli erant in patria noſtra Luteriſtæ, Caluiniſtæ, Anabaptiſtæ, Budneiſtæ, Volaniſtæ, Bieſagiſtæ, ſed omnes vno eodemq; nomine & erant, & vocabantur Chriſtiani; vel, vt uos vocatis, Papiſtæ. At poſteaquam eiuſmodi ſectas, in patriæ perniciem cœpiſtis introducere, ſecta quoq; ac diſſipata eſt illa quam prædicas Academię integritas, ſectæ ſunt leges, ſecta ſunt iudicia, ſecta comitia, ſecta ſubſellia; omnia in patria ſecta, diſſecta, diſiecta, diſſipata videmus. Quid enim mali non videmus? Vos cœpiſtis, vos primi cœpiſtis, templum contra templum, cathe-

dram contra cathedram; altare contra altare eri-
gere. conſequens erat, vt ſcholæ quoq; contra ſcho-
las ſuſcitarentur, & Academię Cracouienſis maie-
ſtas; & illa quam prædicas frequentia, minue-
retur. Qui ſunt autem, qui ſcholas contra ſcho-
las erexerunt? Vos inquam Euangelici, teterri-
mi legum & regum euerſores. Repete memo-
ria, ſi quam habes, ſcholas Euangelicorum, Pi-
nczouienſem, ſcholam Volenſem, ſcholam Leuar-
touienſem, ſcholam Chmielnicenſem, Brogen-
ſem, ſcholam Grodziſcenſem, ſcholam Poſna-
nienſem; & id genus alias; in quibus ætas imbe-
cilla, ad omne audaciæ blaſphemiæq; genus inſti-
tuebatur. Illæ inquam fuerunt, quæ ſqualli-
dam ſolitudinem in Academiam Cracouienſem
inuexerunt. Nam ſi quas ſcholas regendas Ieſui-
tæ ſuſceperunt, pro ſchola, non contra ſcholam
Cracouienſem, inſtituerunt: cùm ſchola Cra-
couienſi in cultu veri Dei, & in orthodoxa ve-
ritatis conſeruatione conueniunt: cum ſchola
Cracouienſi præceptores & ſcriptores Hęreticos
reijciunt: Philippos, Sturmios, Spangebergios,
Eraſmos, & iſtiuſmodi alios. cum ſchola Cra-
couienſi, vitam pro religione profundere parati
ſunt. Vis rerum teſtimonia adiungam? Veſtræ
ſcholæ & Synagogæ pręceptores; veſtri patroni &
fautores; veſtri magiſtri & miniſtri, autores & in-
cento-

centores fuerunt, vt ſchola Cracouienſis diſsiparetur. Quid inſignes plerǫ; Regni familię, Euangelico ſeu Lutherano ſpiritu de ſtatu mentis motę, (è quibus hodie, tãquam è ſpinis, roſas proceſsiſſe videmus & gaudemus) contra Cracouienſem Academiam egerint, obſcurum non eſt. Vos acerbas & capitales ſententias, ſępè in particularibus, quandoq; in generalibus Regni comitijs; in homines innocentiſsimos Academię Cracouienſis Profeſſores, pronunciaſtis. Vos è priuatis oppidorum ſcholis Magiſtros & Baccalaureos Cracouienſes exturbaſtis: & in eorum locum externos homines, terrę filios ex Italia profugos, Geneuæ, Baſileę, Tiguri ob vim flagitiorum virgis cæſos, naribus auribuſq; truncatos, ſcelerum ſtygmata manu carnificis impreſſa circumferentes, ſubſtituiſtis. Vos Artium & Philoſophię Magiſtrũ Volſcium, nobiliſsimum ſcholę Cracouienſis membrum indigniſsimè enecaſtis. Vos exulem Stancarum in ſcholam Pinczouienſem recepiſtis: vos in ciuium locum externos homines neſcio quos Synagoniſtas, Theodori Bezæ ſymmiſtas recepiſtis: vos illum miniſtrum ob adulterium, quod in deſpectũm Papæ (ſic enim facinus excuſabat) commiſerat, auricula mutilatum, vt angelum è cœlis delapſum, in veſtrum comitatum recepiſtis, eiq; liberos veſtros erudiendos tradidiſtis. Vos igitur eſtis, & veſtri Euan-

gelici

gelici magiſtri, & miniſtri, qui Academię Cracouienſis ſolitudinem attuliſtis: & eam, quam deploras, illius faciem reddidiſtis; nec adhuc vnquam legibus illius, & inſtitutis, interitum machinari deſtitiſtis: quod tu, aut concede; aut abi; & ad Antyciras nauiga.

Quod ais habuiſſe Poloniam noſtrã ante iſtos Ieſuiticos monachos, viros eruditiſſimos, oratores vehementiſſimos, Philoſophos acutiſſimos, Iureconſultos prudentiſſimos, Theologos omni dicendi grauitate, copia atq; ornatu inſtructiſſimos.

Verè ais: ſed addere debuiſti, quòd ne núc quidem habere deſijt; & habebit per Dei gratiam plures etiam; niſi vos curſum bonarum literarum totiuſq; pietatis progreſſionem retardaueritis: aut Regnum, quod abſit vniuerſum ſeditioſiſſimis conſilijs ad extrema pericula adduxeritis. Non omnia, ait Tacitus, apud priores meliora; ſed noſtra quoq; ætas, multa laudis & artium imitanda poſteris, tulit. Quædam, ait Seneca, initium ab alijs trahunt, & tamen initijs ſuis maiora ſunt. Principia enim ſua ſemper ſequens magnitudo obruit.

De Luca & Leopolita Concionatoribus tu fortaſſe auditione accepiſti: ego ſępe vtrunq; pro concione diſſerentem audiui: & vtriuſq; conſuetudine ſum olim vſus familiariſsimè: quorum ſermone ſi dignus eſſes, reprehenderent te proculdubio ex ipſis bea-

ſis beatorum ſedibus, quòd cum illis omnes in patria concionatores mortuos putas.

De Hoſio verò nunquam ſatis laudato Cardinali, quem rectè quiſpiam ob doctrinæ ſublimitatem vt Areopagitam Chriſoſtomus πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ, id eſt volucrem cœli dixerit; deq; Cromero eius ſucceſſore videri tu quidem vis; quaſi eos ſummò loco habeas: Sed ſi magnus apud te eſſet Hoſius, non magnus apud te eſſet Fricius. Si Hoſium Eccleſiæ Romanæ lumen verè putares: Fricium Anathema, Maranatha, iudicares. Non me tenebo, quin tibi Hoſiani nominis amplitudinem explicem, quid de eo viro Itali, Galli, Germani, Hiſpani, Angli, Hungari, Scoti, Luſitani, Hiberni; quid in Aſia, quid in Africa, quid in ipſa quoq; patria noſtra, clarisſimi & ſapientisſimi viri ſenſerũt; atq; ad vniuerſę poſteritatis memoriam ſcriptum reliquerũt: vt ſi talem voles credere, qualem iſti faciunt, in illius quoq; de Ieſuitis iudicio, quod commemorabo, acquieſcas. Alij columnam Eccleſiæ vocant; alij ornamentum Collegij Cardinalium, alij ſplendorem curiæ Romanæ; alij Phœnicem Cardinalium; alij Polonicum Patriarcham; alij ſenem verè Abrahamicum; alij malleum hæreticorum; alij noſtri temporis Auguſtinum; alij alterum Poloniæ Staniſlaum; nouum Beſſarionem; Melchiſedechicum ſacerdotem; nunquam ſatis laudatum Eccle-

ſiæ de-

ſiæ defenſorem; rectæ fidei cuſtodem vigilantiſsimum; orbis miraculum; patrem patratum; Romani Senatus ornamentum; Apoſtolicæ ſedis propugnaculum; Chriſti fortiſsimum Athletam, formidabilem hęreticorum aduerſarium; ſenem ſuauiloquentem; alterum Numam; micans Latij lumen; alij ſinceræ pietatis magiſtrum; Dei interpretem; alteram Pauli manum; alij alijs laudibus celebrant & vſq; ad ſydera tollunt. Idq; te ſcire volui, ne tam deinceps, vt nunc feciſti, ieiunè tam commemorabilis viri nomen vſurpes. de quo tu quidem vereris ne ex commemoratione illarum uirtutũ & eruditionis recrudeſcant vulnera, ex iſtorum hominum morte accepta. Ego uerò etſi Hoſium immortalem ſi fieri potuiſſet; eſſe uoluiſſem; fit tamen neſcio quo modo, ut illi uitam ereptam minus doleam: ne Volanum, ne Czechouicium, ne Budneum, ne cæteras quiſquilias, ne te, ne tui ſimiles alios, in Senatu, & ad Senatum de Repub. loquẽtes, & garrientes audiat. Mortem ille quidem timuit nunquam, ſed optaſſet etiam, ſi te tuiq; ſimiles, clauum Reipub. moderaturos cognouiſſet.

Producis etiam Bembum, Sadoletum, Contarenum Polum, viros omni exceptione maiores. & infers: Quid horum ſimile habent Jeſuitæ?

Non es uerſatus in libris Theologicis, calumniator. Fuit magnus Bembus, ſed nec paruus Toletus

letus. Fuit elegans Sadoletus; ſed nec infans Maphæus. Fuit doctus Contarenus; ſed nec Caniſius indoctus. Fuit Polus eloquens; ſed nec Perpinianus mutus eſt. Fuit Nouicampianus ſolidus; ſed nec Gregorius de Valentia vagus eſt. Fuit Melchior vehemens; ſed nec Scarga remiſſus eſt. Fuit Zelans Lindanus, ſed nec Belarminus tepidus eſt. Fuit Canus diſertus; ſed nec Bentius indiſertus. Quo loco Turrianum, quo Maldonatum, quo Schererium, quo Pererium, quo Vuiecum, quo Grodicium habeas? facilè iam animaduerto. ſed citius tu, orbis Chriſtiani iudicio, & infans habeberis, & improbus, quam iſti non magni.

Ais, *lucubrationes eorum ita refutatas ab Hæreticis, & ita profligatas, vt luculentam quoq; plagam tota Eccleſia noſtra Romana acceperit.*

Ita profligatas? ita refutatas? Pudet me victorię veſtræ, Euangelici: ſic profligaſtis Ieſuitas, vt reuerti in certamen poſſint: ſic refutaſtis, vt tacere non poſſint. Velim impudentiæ tuæ, pudentiorem exitum quæſiuiſſes. Omnis quidem arrogantia odioſa eſt: ſed illa de multarum rerũ cognitione multò moleſtiſſima. Languens es ineptiſſime Ieſumaſtyx, circa quęſtiones verborum, & nihil ſciens. Eccleſia Romana luculentam plagam à Ieſuitis accepit? Hîc ego te profectò mentitum dicerem, niſi vererer ne putares (ita enim ſtupidus es)

me dicere te mente tota conſtare. Id quidem verum eſſe vellent Euangelici, vt Romanam Eccleſiam oppugnarent Ieſuitę: ſed interim ipſi eorum magiſtri & miniſtri, editis in vulgus libellis, & pictis propoſitis tabellis, in oculis omnium gentium confitentur; nutantem in Septemtrione Eccleſiam Romanam, Ieſuitarum ſtudio, labore, diligentia, ope omnium rerum ſuſtineri. quas tu profectò oculis ipſe tuis vſurpare in Euangelicorũ Bibliotecis potuiſſes; ſi in lucem aliquando è tenebris & puluere Leuartouienſi prodijſſes. Sed tu, vt video, non ſolum es, ſed etiam videri uis infans ineptiſſimus. Videris autem, quàm tibi rectè cum Volano tuo Zuingliocaluiniſta, conueniat; illo ſcilicet in Lituania ſucciplenæ cœnę ſtructore. Is enim Ieſuitas ait, tam obſtinatè doctrinam Eccleſiæ Romanę defendere, vt nullum in ea prorſus, licet corruptiſſima, neuum agnoſcant.

Quod ais. *Eccleſia noſtra Romana*. Vereor ne tibi inuito verbum hoc exciderit:

Aut ars Vulcanum, (ait ille) *aut forceps ignara feſellit.*
[illegible] voluit cudere, cudit [illegible].

Sic tu veſtra voluiſti, noſtra Romana dixiſti: niſi fortè eo ſenſu voces noſtram, quo pedem & noſtrum dicimus, & lecti & ſcamni & carminis: quo canem & venaticum, & marinum, & ſydus appellamus. Sed poteſnè tu eſſe Eccleſiæ Romanę mem-

brum, qui tantùm Hęretico Fricio tribuis, à Romana Eccleſia reprobato, vt hominẽ bob⁹ ſtabulãdis, ſtercorandiſq́; agris deditum, propterea quòd de Repub. neſcio quid garriat, Hoſio & Cromero ſimilẽ facias: qui ex nomine Sãctiſſimę Trinitatis & è Crucifixi imagine, Sanctorũq́; & Sanctarũ memorijs delitias tibi facis? Poteſnè tu eſſe Eccleſię Romanę filius, qui religioſorũ virorũ ſtatum, quos vulgo Monachos vocamus, tam vilia mancipia putas, vt Ieſuitas, ignominiæ cauſa Monachos voces? Omnium eſt communis inimicus, qui hoſtis ſuorum, eſt. Nemo, crede mihi, ſapiens proditori ſuorum vnquam credendum putauit. Eadem itaq; fide abs te dictum putabo, id quod fateris; qua illud, quod negas.

Facis diſputationis Lublinenſis mentionem inter Catholicos & Antitrinitarios, & Anabaptiſtas. Infantem te dixeram, nunc mendacem conuinco. Habita eſt ea diſputatio in Eccleſia Lublinenſi Societatis Ieſu. Progreſſus in medium Czechouicius, Archiflamẽ illud Anabaptiſticæ doctrinę, ſeſquipedalibus verbis profeſſus eſt, ſe non contentionis ſtudio, ſed inueniendæ veritatis deſiderio in arenam deſcẽdere, Deumq́; precari; vt quicunq; opprimendæ veritatis ſtudio, & cupiditate inflammatus verba mendacij loqueretur; illicò prorſus obmuteſceret. Quid autem conſecutum eſt? Audi & iniurato crede, nec

quenquam tuis fabulis fallas. Cùm multa illa ſua Proſopopęia contra Deum, Eccleſiam, contra primatum Romani Pontificis, & Petri claues hinc & inde acta eſſent; nec acquieſcere veritati clamoſus Çzechouicius vellet; ea protinus percuſſus eſt maledictione, quam erat comminatus veritatem oppugnanti. Subito enim hominem vox defecit: nec vllum amplius contra Ieſuitam potuit verbum fundere: ita vt à ſuis è media diſputatione languens abduceretur. cùm interim nil aliud ſentiret incommodi, quàm vocis defectionem. In eius locum ſucceſſit Niemoicuius, quem tu ais verbera ſenſiſſe: ego neſcio; aut, ſi ſenſit, ſcio virum nobilem nō libenter pugnos edere, multò minùs Ieſuiticos. Faciliùs ego tibi oſtendam ediſſe Petrum Scargam pugnos Euangelicos, cuiuſdam Oçzunouij. nec ſatis hoc. Calumnijs etiam appetitum probabo, quaſi pro concione docuerit, omnes obuios Euangelicos in faciem conſpuendos: ſed nondum huius venit tempus ſermonis.

Quod libellum doctiſſimi Viri Poſſeuini facem vocas ad excitandum incendium, eumq; , ais, omiſſis eruditionis ſuæ armis doctrinæq; inſtrumentis, ad barbaricam crudelitatem & feritatem decurrere.

Si eam Epiſtolam intelligis, quam vir ille zelantiſſimus Sereniſſimo Regi Stephano aduerſus Volanum inſcripſit, vbi ait, Hereticos ab antiquiſsimis

Syno-

Synodis anathemate plexos, atq, vt putrida membra ab Eccleſię corpore reſectos. Non Poſſeuinum (ô cariſſime) reprehendas neceſſe eſt; ſed eos, quorum id quod dicit, decretis & autoritate confirmat, Theodoſium, Valentinianum, Martianum, Carolum Magnum, Ludouicum Galliæ Regem: ſed omnes orthodoxos Reges & Principes. Quid Reges? ipſum vas electionis Paulum, qui iubet eos abſcindi, qui fratres conturbant. Quid Paulum? imò Pauli Dominum, & Pręceptorem Chriſtum, qui vt Ethnicum & publicanum, habendum pronunciat, Eccleſiam qui non audierit. Nolles, ſat ſcio (leges enim vt laqueos oderunt Euangelici) ſanctiſſimi illius Korcinenſis Decreti in Generali Parlamento, ſub anno Domini 1438. contra Hęreticos promulgati, vllam iſto loco fieri mentionem. Sed nec illius Conſtitutionis, quam in oppido Vielunenſi Vladiſlaus Iagello promulgauit. cuius verba ſic habent. Quicunq; in Regno Polonię noſtro & terris nobis ſubiectis, hæreticus, aut hęreſi infectus, vel ſuſpectus de eadem, fautor eorum vel director repertus fuerit; per noſtros Capitaneos, Conſules ciuitatum, & alios officiales, ac quoslibet ſubditos noſtros, ſiue in officijs ſiue extra viuentes velut Regiæ Maieſtatis offenſor capiatur, & iuxta exigentiam exceſſus ſui puniatur. Hęc inquam tu, omnia ſempiterna ſepulta obliuione cuperes, ne

te non

te non ſolùm Cæſareis; ſed Regum quoq; tuorum legibus & decretis reprobatum damnatumq́; audiamus. Sed veritas nihil aliud timet quàm taceri. Expedit tibi audire, quod auditũ nõ poſſis damnare. Obſtringit ſeſe illo Corczinenſi decreto Rex, & ordines omnes Regni, ſub fide & honore; quòd inſurgere vellent cõtra omnes ad eorũ deſtructionem (hæc enim ſunt legis verba) quicũq; in Regno errores hęreticales, tenere, fouere, promouere, manu tenere vellent. ex cuius tu legis laqueis, nunquam euades profectò, quam diu propemodum eris Eccleſię Romanę alumnus. niſi forte ita impudens eſſe perſeueres, vt ſicut Poſſeuini libellum, ſic hoc ipſum Regis & Regni ſapientiſsimum decretum, facem vocare libeat, ad excitandum incendium. idq́; ſine dubio verbum vomuiſſes, ſi Decreti huius fieri mentionem aliquando audiuiſſes.

Ais deinde: *Quamobrem Concilium non conuocatur? Cur publica diſputatio non inſtituitur?*

Quò longius progrederis, in plures te laqueos induis, quorum ex nullo (crede mihi) te vnquam expedies. Si coactum Concilium Tridentinum cognouiſti, cui illud ipſum patrię noſtrę lumen pulcherrimum, quem paulo ante dilaudaſti, Hoſius Cardinalis pręfuit; cur, quæſo te, de induſtria in odium offenſionemq́; veritatis incurris? ſi per ętatis imbecillitatem, perq́; occupationes adoleſcen-

tiæ, nihil audiuiſti, ex me audias. Noli, quæſo te, turpe ducere, quod diu non didiciſti, diſcere. Si cum Romana Eccleſia ſentires; ſi, quod fingis, matrem eam tuam putares: cõuocatum, coactum, publicatum, celebratum, perfectum, abſolutum, exequutioni mandatũ Conciliũ Tridẽtinũ nõ ignorares. Sed vos rectè quidam Æ ſopo & Marcholfo ſimiles facit, qui arborem inuenire nullam potuit, in qua ſibi vitam vellet iniecto laqueo eripere. Euangelicorum proprij ſunt iſti fremitus. Fiat Concilium: libera cogatur Synodus. Poſtquam coacta eſt; aiunt non eſſe liberam: poſtquàm libera decreta eſt; aiunt ad Cæſarem, non ad Pontificem, ius congregandi pertinere. Poſtquam congregatum tamen eſt; armis illud hoſtilem in modum diſsipant, & Concilium nationale, in intima Germania efflagitant. nec ſatis hoc. Colloquium publicum & diſputationem in Comitijs Imperij decernunt. Vidimus, legimus, Comitiorum receſſus; vbi iſta, quę dicimus, per Euangelicos Principes, ab optimo Cæſare, & ab Ordinibus Imperij, Regalibus adiunctis minis, efflagitantur. Vidimus & leges Ratisbonę deſcriptas, è quorum ſententia Vormatienſis diſputatio, inſtitui debebat: ex ea porrò pacem toti Germanię redditam iri ſperabant Euangelici; ſed natus eſt ridiculus mus. Nam cùm illi ipſi Euangelici Doſtores, & Rabini, aſſeſſores, Iu-

dices

dices & Notarij, conuenire inter ſe non poſſent; nullo facto operępretio, è medio curſu diſputationis abierunt. Lepidè itaque facis, quòd Concilium congregatum ignorare te ſimulas: quod ni faceres; te Hæreſeos conuictum, vt Hæreticum dam natum, Anathemate percuſſum, Sathanæ traditum neſcire non poſſes. Fugis videlicet, vt ante diximus, illud audire, quod auditum non poſſes dam nare. Moleſta quippe eſt lippis oculis, ſolis claritas: dura ſunt improbis animis, præcepta pietatis. Legeres quoq; in illo ipſo Concilio, de ea quam ſceleratè laceras religione Clericorũ Societatis Ieſu, deq́; pio eorum inſtituto à ſancta Sede Apoſtolica approbato. Sed parcam ſtultitiæ tuæ, nec diutiùs in iſto ſermonis genere immorabor, ne nobis illud magiſtri tui occinas: Quid nobis & tibi? veniſti huc ante tempus torquere nos.

Ais deinde: *Iuuentutem numeroſam habent ſuis in ſcholis; quibus artibus eam colligant & retineant, metuo, ne ſerò admodum animaduertamus, & tum demum velimus ei malo remedium adhibere, cum non poterimus.*

Non miror quòd non videas, quibus artibus iuuentutem & colligant & retineant Ieſuitæ. neq; enim prę iracundia, vel officij tui, uel periculi, vel pietatis, vel humanitatis, uel veritatis rationem habes vllam. At viderunt viri Dei, illa orbis Chriſtiani lumina, Hoſius & Cromerus; quorum alter

Socie-

Societatem primus omnium in Poloniam introduxit: alter etiam fouit. Vidit optimus Epiſcopus & Senator Noſcouius, qui Pultouienſe; Vidit Epiſcopus Poſnanienſis Konarski, qui Poſnanienſe; Vidit Epiſcopus Valerianus, qui Vilnenſe Collegium, exædificauit: vt Nobiliſſima Regni iuuentutem, ab his, quos tu odiſti, ſocijs & præceptoribus regenda & gubernanda ſuſciperunt. Vidit, poſt iſtos omnes, ſapientiſsimus Rex Stephanus, cuius inuicta virtus ſola pietate ſuperata eſt; qui Polocenſe, Rigenſe, Derpatenſe, Claudiopolitanum, Albaiulienſe, Varadinenſe Collegium excitauit; in quo iuuenum animos, ad omne officij munus Societas erudiret. Vidit, & videt Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Gneznēſis Karnkouius, qui maximo ſuo ſumptu ſcholā Caliſsienſem excitauit.. Vidit, & videt Comes Roztazouius Vladiſlauienſis Epiſcopus vigilantiſſimus, qui fœliciſſima Nouenſis Collegij in Pomerania iecit fundamenta. Vidit, & videt Illuſtriſſ. Princeps Olicæ Dux, Nicol: Chriſtoph: Radziuilus, qui Nieſueſenſe Collegium erexit. Vidit ad extremum is, qui nobis fœliciter imperat, Sigiſmundus tertius pientiſsimus Rex. Vidit ſapientiſſ. Regni Senatus. Vidit ordo Equeſtris vniuerſus, qui illud ipſum Ieſuitarum Nieſueſenſe Collegium, & attributos illi reditus in Regni Comitijs publico Senatuscōſulto, ap-

to, ap-

to, approbauit; eſſeq; Ieſuitis in Regno perpetuos voluit. Hos, ſi non vidiſſe, non intellexiſſe, non animo & cogitatione percepiſſe, dixeris; quibus artibus iuuentutem numeroſam ad ſuas ſcholas colligant Ieſuitæ, quibuſq; retineant; dignus profectò es, qui in eas oras deporteris; vbi viuos homines mortui incurſant boues. Congruit veritati ridere, ait Tetull. quia lęta eſt: de ęmulis ſuis ludere; quia ſecura eſt. Multa ridendo poſſunt reuinci, ne grauitate adorentur.

Vis audire quibus artibus iuuentutem numeroſam ad ſuas ſcholas colligant Ieſuitæ? Nil in diſcipulis præter diſcipulos amant. Quidquid docent; faciunt. (Æſtimari autem pręceptoris magnitudo non poteſt, vita qui docet.) Doctos facere diſcipulos, ſed magis bonos contendunt. Ad vſum vitæ, non ad conſuetutinem ſcholę loquuntur. Noue multa, ſed noua nulla docent. Nil habent melius quod optent, quàm vt diſcipuli Deũ & proximum diligant; & hoc ſolum auditoribus ſuis, ex omnibus quas profitentur litteris proponendum putant, quod virum bonum faciat. Vitæ in eo fructum ſtatuunt; ſi quotidie ſtudioſi Adoleſcẽtes, cœlum magis, mundum minus diligant: ſi amorem pecuniç mentis bonæ venenum putent: Si diuitias ibi ſeruent, vbi perire non poſſunt. Si honorum ſtudium fugiant: vel ſi inde petát, ubi nemo indignus

hono-

honoretur ſi laudis, ſi ambitionis, ſi poteſtatis immodicam cupiditatẽ fugiant: ſi ſuos putent omnes, quibus præſunt: ſi ſuperbos minus curent; minimè ſint: Si uitam inde petunt, ubi nulla morte finitur. Si ſalutẽ ibi quęrunt, ubi partæ nil timetur. Si in omni loco & tempore, in omni uitæ genere amicos aut habeant, aut habere laborent; ſi inimicitias uitent cautiſſimè, ferant ęquiſſimè, finiant citiſſimè: Si non peccatores, ſed peccata abominentur: Si opem ferendam indigẽtibus putent, etiam qui lęſerunt, etiam qui lędere uoluerunt:. Si falſos doceant; fallaces caueant; ſi bonam mẽtem tota mente quęrant; ſi tam ſuis, quàm Sociorum ſtudijs progreſſum et tranquilitatem optent. Si non tum ſe Beatos reputent, cùm auri, quod ſitiunt, ponderibus abundant; cùm luce, quas poſſident gemmarum, delectantur: cùm illis in altero ſeritur, in altero metitur orbe: cùm eſuriente ſtomacho, aridiſq; faucibus ad fontem abundantem, cœnam inſtructam, niueſq; circumpoſitas reperiunt; cùm ſiue coniugum, ſiue amicarum corpora pro libito amplexantur; cùm aures cantu, tibiarumue ſtrepitu oblectant; cùm inter roſas & vnguenta Arabica iaceant; cum intempeſtiuis ludis & iocis immodeſto ornatu corporis; cum ocio ſomno; inertia pigritiaq; abundant. Si cùm pręſunt, & vitia vindicant, ne nimium ſit, labo-

rant; ne parùm, cùm ignoſcunt. Summa eſt, ſi quod ſibi nolunt, alteri ne faciant.

Iſta illi præcepta in obſequentes animas, quaſi è tabulis æternę legis tranſcribunt: modò non ad pedes abiecti, quotidiè diſcipulis ſupplicantes. Si quid nobis amoris, ſi quid officij, ſi quid debetis necesſitudinis: ſi intelligitis, quantum vos diligamus; quanti faciamus; quantum nos cura morum veſtrorum exagitet; ſi noſtra ſtudia; noſtræ vigiliæ noſtra ieiunia, noſtri vos mouent labores. Si iſti quos quotidiè in prelectionibus videtis ſudores, & clamores. Si deniq; (Deo teſte) non mentimur, nil nos optare nobis, pluſquàm vobis; referte gratiam, rependite præmium. Si nos Patres, magiſtros & Præceptores vocare non dubitatis, reddite mercedem; Boni eſtote. Iſta porrò quotidie occinentes, non contenti ſunt viam ad pietatem quaſi protenſo digito monſtrare, manum admouent; ducunt, trahunt, dirigunt, comitantur, adiuuant. Non ſicut medici inter ægros, quos perambulant, ſine vllo affectu venam tangunt; & abeuntes, remedia diſponunt; ſed ſicut amici propria & peculiari cura, & ſtudio, dignum diſcipulum putant. In ſingulos, dum docent, animum & cogitationem dirigunt; vt quæ pro lectione proponuntur, non quaſi in medium proiecta manibus excipiant, ſed quaſi ſingulis porrecta in animum demittant. Operam

ram

rani enim quam prę$tant, non tantùm ipſis præſtant; ſed tanquam ipſis. Nemo poteſt dicere; nullam habet cogitationem mei: non in ſinu meo ponit; ſed in medium proijcit verba. In turba enim multorum, pręcipuam de ſingulis curam habent. non tanquam publici partem, ſed tanquam proprium cuiq; dantes beneficium. Laborem in docendo, & moleſtum illud tędium, quod oſcitantes diſcipuli pariunt, ſine ſupercilio deuorant: hortando, bonam indolem erigunt: laudando, animum addunt; monendo, deſidiam diſcutiunt: ingenium latens & pigrum, iniecta manu extrahunt: nolentibus, timorem adhibent. nec ideo diſcipulis proſunt, vt proſint & ſibi; aut eos faciant vtilitatis ſuæ inſtrumenta; ſed omne laboris ſui premium, in eorum, profectu ſtatuunt; ad ſuſpecta tempora occurrunt: nullum illis miniſterium oneri, nullum faſtidio eſt. Profectum diſcipuli, vitam: mortem, inertiam putant. Præceptores profitentur; amicos agunt. Et quod in omnibus eorum ſtudijs eximium eſt; cùm ſciant paucis opus eſſe ad bonam mentem litteris, omnem ſimul ſapientiam in compendio tradunt; TIMERE DOMINVM: Illud quotidie ſine modo, & ſine fine diſcipulis occinentes, in quo vno omnes diſputationes, omnes litteras quorumlibet Philoſophorum: omnes leges quarumlibet ciuitatum: omnia pręcepta Mo-

ſis &

ſis & Prophetarum: omniumq́; diuinarum & humanarum diſciplinarum ſummam contineri; dicit Auguſtinus; diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & proximum vt teipſum. Huc Grammaticam dirigunt: oſtendẽtes minus ridẽdos, minuſq; reprehendẽdos diſcipulos, cùm hominis vocabulũ, cõtra pręcepta Grãmatices ſine aſpiratione ſcripſiſſent: quàm cùm hominem contra Dei pręcepta ſine ceſſatione odiſſent. Vel cùm per linguę errorem dicerent, inter hominibus; quàm per mentis furorẽ, hominem tollerent ex hominibus. Huc Phiſicam dirigunt; quoniam omnes omnium naturarum cauſæ in Deo creatore ſunt. Huc Ethicam; quoniam vita bona & honeſta, non aliunde formatur, quàm cùm ea quæ diligenda ſunt, quemadmodum diligẽda ſunt, diliguntur; hoc eſt Deus, & proximus. Huc Logicam, quoniam veritas lumenq́; animæ rationalis, non niſi Deus eſt. Huc Poeticam; huc ipſas illius fabulas conferunt; quibus antiquitati ſublimiora quęq; ingenia delicatiſsimè ingenioſiſsmèq́; mentiebantur, oſtendentes; (vt vnum ſaltẽ exemplũ; etiam ab Auguſtino notatum afferamus) in fœdis Pyrami & Tysbes amoribus, quãta ſit vis puri ſynceriq́; amoris; quo animę diſciplinis dotatę, virtuteq́; formoſę copulantur intellectui, per Philoſophiam; docentem eſſe vana omnia, quæ ſub iſto ſole videntur, &

noxia

noxia, cùm amantur; ita vt non ſolùm mortem pro Chriſto & veritate non timeant, ſed & optent. In laboribus etiam Herculis docentes, & oſtẽdentes, fortes quoſq; viros laborem, ſudorem, ſanguinem virum, militiam, olere: eoq́; ire debere; vbi celſa magni (vt Boetius loquitur) ducit exempli via. Superata quippe fortiter tellus, ſydera donat. In Fabula quoq; Circes, virum fortem & ſtabilem, etiam lacerato, etiam mutato corpore, ſui eſſe debere ſimilem, oſtendunt; leuemq́; eſſe nimium quamlibet magni hominis manum.

Nec potentia gramina
Membra quæ valeant licet
Corda vertere non valent
Intus eſt hominum vigor
Arce conditus abdita.

Ita Nimphas, ita Syrenes, ita Vulcani retia, ita Martis dolia, ita Parcas, Gorgonas, Prometheos, Gigis annulos, ita quandoq; iſtius modi fabulas, proponunt; vt auditores ſuos etiam per ficta exempla noxia deteſtari; & ſalutaria conſilia ſuſcipere; vel, vt melius noſtræ ſcripturæ loquuntur, diuertere à malo & facere bonum, doceant. Non enim in eo diſcipuli profectum ſtatuunt, quod certè noſtri olim præceptores virgis armati laborabant, vt Deorum Genealogias memoriter recitent; aut Herculis labores in digitis

gitis numerent; aut Argonautas recenſeant; aut Parcarum, vel Nereïdum nomina ſtatim edant; aut errores Æneæ cantitēt; aut Didonis mortē deplorent;aut quam manū Veneris Dyomedes ſauciauerit,explicent; aut ſitim Tantali; aut iecur Titij; aut quàm rectè Roſcius Hæcubam in ſcena repræſentauerit, aut quàm rectè Pamphilus Heri ſui libidini ancillauerit, illicò recitent. Aut vtrùm Palamedes litterarum & numerorum, vtrùm ſementis Triptolemus, vtrùm Apiarij Corax primus author & inuentor fuerit. aut Ægyptiorum Deos an guipedes, canicipites, ſerpenticipites, Aſinicipites, aut ipſum Iouem Ammonem veruecino capitē, vt teſtatur Athanaſius, vel cantent memoriter, vel effingant deſcribantq; dulciter. Aut iſtos Ægyptiorum; illos fuiſſe Phænicum Deos? Iſta Perſarum, illa Syrorum; iſta Indorum, illa fuiſſe Arabum numina recenſeant; Iſtis canes, illis homines; illis pecudes; iſtis ſerpētes; Thura illis, iſtis mola ſalſa, litata immolataq; extitiſſe. Quod tamē ſi prioris ſęculi pręceptores in patria docuerūt;ſi & iſti ad huc docerēt,auſim dicere:minus reputari poſſe nocentes Poetarum fabulas, de Dædalo volante, de Aiace furente, de Parca fila ducente, de Tantalo ſitiente, quàm Euangelicorum miniſtrorum Dei Verbo ceruſſatas phaleratasq; conciones,de ſola fide iuſtificante, de vna Euchariſtiæ ſpecię, hominem

nem ad inferna damnante; de cultu imaginum, idololatriam redolente.& id genus, quæ blaterant. Huc etiam Rempub. referunt. Neq; enim conditur & cuſtoditur optima ciuitas, niſi fundamento & vinculo fidei, firmęq; concordiæ. cùm bonum commune diligitur, quod ſummũ ac veriſsimum Deus eſt, atq; in illo inuicem ſynceriſſimè ſe diligunt homines;c ùm propter illum ſe diligunt; cui, quo animo diligant, occultare non poſſunt. Ad quem certè finem niſi omnis omnium artium & diſciplinarum, omnium Doctorum & Præceptorum curſus dirigatur; ſcientia quæri poteſt, inueniri non poteſt. Hæ ſunt artes, (ô bone) quibus animos capiunt. Hęc veſtigia, quibus incedunt. Hæc offa, quam obijciunt. Hi ſunt hami, quos inſerunt. Hic viſcus, cui diſcipuli inhęreſcunt. Tales ſe plane Doctores iſti noui & Pręceptores, Ieſuitæ, exibent, quales eſſe iubet doctiſsimus Lirinenſis cùm ait; O ſacerdos, ô tractator, ô doctor, Si te diuinum munus idoneum fecerit, ingenio: exercitatione, doctrina; eſto ſpiritualis tabernaculi Beſeleel: pretioſas diuini dogmatis gemmas exſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adijce ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur te exponente illuſtrius, quod antea obſcuriùs credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum gratulabatur:

eadem tamen quę didiciſti, ita doce; vt cùm dicas nouè, non dicas noua. Fas eſt etenim, dicit paulò poſt, vt priſca illa cœleſtis Philoſophię dogmata proceſſu temporis exornentur, poliantur, limentur: ſed nefas eſt vt commutentur; nefas vt detruncentur; nefas vt mutilentur. Accipiant licet euidentiam, lucem, diſtinctionem; ſed retineant neceſſe eſt, plenitudinem, integritatem, proprietatem. Vos porrò, o Triobolarij Doctores, quid veſtros Sectatores, quid docetis diſcipulos? Dicam vno uerbo, quod olim Corax Athenienſis. Omnibus quibus vellent diſputãdo aduerſari: & omnibus quibus vellent, dicendo adulari.

Exclamas deinde: *Putatiſne, Senatores, diſciplina Monachorum; iuuentutem, ad res rectè gerendas erudiri poſſe?*

Et hoc impotentis animi ſignum eſt, omnibus in vniuerſum ſine fine iraſci. Sed tu de induſtria in Regum & Legum offenſionem incurris. Tecumnè es? O quàm verè Paulus, nil ſcientem Hæreticum appellauit. Hîc ego te non verbis è Donato; ſed legibus, ſed Decretis, ſed ſtatutis, ſed grauiſſimis Senatuſconſultis è Regni Statuto cõuincam. in quo lex illa Sigiſmundi Regis laudatiſſimi legitur, quę Regni Polonię Abbates omnes obſtringit, vt Nobilium filios in ſuis monaſterijs ad oẽ officij munus, inſtituẽdos & erudiendos ſuſcipiant. Verba legis

legis ſic habent; Tenebuntur Abbates certum numerum puerorum Nobilium fouere in Monaſterijs, & illos inibi hominibus doctis artibus liberalibus dare inſtituendos. iuxta quod vnicuiq; Abbati, Domini Epiſcopi illorum locorum conſignabunt & nominabunt. De inde verò meminiſſe debebas Cazimirum Primum in Cluniacenſi Benedictinorum Monachorum ſodalitate educatum, & inſtitutum, tanta cum pietatis & fortitudinis laude Regni Poloniæ clauũ tenuiſſe; vt Maſlaum Maſouiorum tyrannum deleret; rebelles Pruſſos reprimeret; acerrimos Iazuingas penitus extingueret: pacem Regno redderet: Dei cultum augeret: Domicilia multa Chriſti ſeruorum erigeret: & nomen ad extremum Inſtauratoris Pacifici cõſecutus eſſet. Stephanus quoq; Rex laudatiſsimus, ille inquam Rex, cuius virtutem hoſtes, miſericordiam victi, fidem & prudentiam cęteri omnes perſpexerunt, inter eos quos ex Italia in Poloniam euocabat, vt in optimis litteris Regni iuuentutem erudirent, Patrem etiam Aquarium Dominicani inſtituti religioſum eſſe voluit, præmiumq́; non vulgare promiſit. Camillum quoq; Tachietum Frãciſcanum concionatorem ſuũ aulicum: & Annibalem Roſſelli Bernardinum, in illa ipſa Academia Cracouienſi, cuius cauſam te agere ſimulas, tum Philoſophicas tum Theologicas litteras profiteri voluit.

Iudicet lector, vtrum tibi garrulo adoleſcenti, an Regi ſapienti, de Monachorum diſciplina fidem velit adiungere.

Quæ tibi de moribus Italicis, Gallicis, Hiſpanicis in patriam inuectis garrire libuit; hæc quoq; præteri jſſes, ſi vnquam illud audiuiſſes, Regis ad exemplum totus componitur orbis. Reges enim & Principes externi, quos patria noſtra intra hoc paucos annos ex Gallia, Germania, Vngaria, ad Regni gubernacula euocauit; non quatuor aut quinq; Religioſi in patriam inuexerunt; quicquid de maiorũ noſtrorum ſimplicitate & integritate detractum eſt. Facilius eſt ſi dicere fas eſt, ait Caſſiodorus, errare naturam; quàm diſſimilem ſui Princeps poſſit formare Rempub. Sed non placet tibi ſcholas euérti. Bene eſt. aliter enim ſi diceres, verbis ego tuis lumbos defractos optarem. Placet autem veterem potius reuocare diſciplinam, & patrium morem, pręmia magiſtris & præceptoribus proponi, eos gratitudinis, & vtilitatis ſpe, ad ſcholaſticum laborem ſuſcipiendum excitari; Aſſentior. Age itaq;, exoptatiſsime reformator, tabulas arripe, legem ſcribe, pœnam transgreſſori ſtatue: iube tuos Euangelicos cenſus retentos diſſoluere: ereptos redditus reddere: decimas interuerſas repręſentare: agros ademptos referre: penſiones deſcriptas comportare: aſſignata à maioribus pręmia illico dependere;

mox

mox videbis, crede mihi, Academię Cracouienſis Magiſtros & pręceptores, ad ſcholaſticũ laborem ſuſcipiendum, magis etiam atq; magis excitari. Sed vereor, vt tui ſimiles clependi rapiendiq́; conſuetudinem relinquant. mallent illi quicquid adhuc ſupereſt, de viuo detrahere, quàm erepta reddere: idq́; ſine fręno timoris & pudoris, vbicunq; poſſunt, impiè crudeliterq́; exequuntur.

Ais deinde: *Sed Ieſuitarum opera ſtudio & diligentia effectum eſt, vt Africa, Aſia, America, Perſia, Romanæ Eccleſiæ inſtituta & placita amplectantur.*

Id quidem tu, ſat ſcio, verum eſſe nolles, ſed cùm rerum teſtimonia ipſa tua videat cõſcientia, etiam ipſa tua per ſe erubeſcit ratio, deficit interpretatio, obmuteſcit oratio: lege Surium, Maffeum: lege epiſtolas Indicas, lege Ribadeneiram, lege quotquot de rebus Indicis ſcripſerunt, & linguę tuæ modeſtię fręnos impone.

Quæris deinde: *Quinam ſunt illi viri? quæ eſt iſta pietas? quæ prudentia? quæ vitæ ſanctimonia? vt tantum bonum orbi Chriſtiano importauerit.*

Auſculta, & mea dicta deuora. Proprius eſt hic gentis noſtrę mos; conſilia ſua, non pręcedente ſapientia, ſed conſequente experientia, moderari. Doleo quòd ita ſis & tui & rerum planè omnium oblitus, vt ea ignores, quæ Gallia, Germania, Hiſpania, Luſitania, Vngaria, ipſe quoq; nouus orbis, &

bis, & vltimarum ſola terrarum non ignorant. At ſi tibi Senatoris & Conſiliarij munus ſuſcipere libuit, non diſcere iſta debebas, ſed didiciſſe. In omnibus, ô puer, (libet te Platonis verbis appellare) vnicum principium ijs qui benè conſulere volunt, eſt intelligere, quid illud ſit; de quo conſultatur: vel omninò ab errare neceſſe. pleroſq; verò latet, quod neſciant rei ſubſtantiam. Tanquam igitur ſcientes in diſpoſitionis principio non declarant, procedentes verò, quod par eſt, conſequitur, vt nec ſibi nec alijs conſentanea loquantur. Ne ſis ergo neſciens, aut in Repub. Chriſtiana peregrinus; narro tibi qui ſint iſti viri. Si Deum noſti; ſi cum Platone Geometrem agere omniaq; cõuenienter, proportionatè & legitimè definire; ſi ſaltem illi res mortalium curę eſſe credis; inficias ire non poteris, etiam ſi ſis impudentiſsimus, apta eum & conuenientia remedia, ſingularum ætatum, & temporum, morbis atq; incommodis adhibere conſueuiſſe. Cogunt (ait Auguſtinus) multas inuenire medicinas, multorum experimenta malorum. Magnis olim erroribus Chaldæorum populi tenebantur, cùm rerum cauſas, ad motum ſyderum; non autem ad Dei potentiam, & voluntatem referebant. Sed miſericors Dominus ferre non potuit, vt in errore turpiſsimo conſumarentur. Suſcitauit enim oportuniſsimo illo tempore, admi-

admirabilem illum Patriarcham Abrahamum,qui ſuit illis quaſi via rectę fidei, creatoris omnipotentiam oſtendens,& à cultu & veneratione rerum creatarum auertens. Ægiptij mirum in modum erãt præſtigiatorum artibus, & incantationibus, de ſtatu mentis deturbati. Sed Dominus amicum ſuum illum magnum Moiſen exhibuit, qui dęmonum fraudes detegeret; & Domini potentiam & gloriam per verba & miracula prędicaret. Iſraelitarum rationes valde erant in aliquo tempore cõturbatę. nullum enim certũ Magiſtratum habebant, cuius imperio tenerentur. ecce ſubitò Samuel diuinus affulſit, qui magnum præſidium inclinatis rebus attulit; & ſub vnius imperium, Dei iuſſu, ſubiunxit. Achab ille Rex impius, Deum Patrum ſuorum dereliquit, & diuinum cultum manufactis ſimulachris adhibuit; ſed Dominus Eliam Thesbiten ſuſcitáuit, qui Regis impotentiam frangeret, atq; ad vnius veri Dei cultum reuocaret.Procedente tempore ſuſcitauit Satanas in Aſia Mamalucos: ſuſcitauit Dominus Templarios. Suſcitauit Sathanas Saracenos Ptolomeidem oppugnantes: ſuſcitauit Dominus ſex viros Lubecenſes & Braunſuicẽſes primos eius ordinis autores, quem Theutonicorum appellant, ſtrenuos terræ ſanctæ defenſores. Suſcitauit Satanas Turcas Aſiam infeſtantes: ſuſcitauit Dominus nobiliſsimum ordinem Equitum Hiero-

Hieroſolymitanorum illis obſiſtentes. Saraceni Belgicam occupauerant, magnaq; premebant ſeruitute: ſuſcitauit Dominus in Luſitania Equites Ieſu Chriſti, qui vim immanem barbarorũ profligarent, & ſuos libertate donarent.

Magna fuit olim Chriſtianorum vis in captiuitatem abducta; & ſtatim Dominus ordinem S. Mariæ redemptionis captiuorum, duce & auctore Iacobo Aragoniæ Rege excitauit. Sed longum eſſet omnia, omnium ordinum & religionum genera opportuniſſimis humano generi temporibus à Dei benignitate ſuſcitata, memorare. Ipſa S. Franciſci & S. Dominici familia, quàm opportuno Reipub. Chriſtianæ tempore initium acceperit, obſcurum non eſt.

Sic exiſtimare debes ſuſcitatã fuiſſe à Domino, iſto noſtro ſęculo, eam quam iniquo odio tam acerbè oppugnas IESV Societatem, tanquam Antidotum quoddam earum peſtium, quas Luterus in orbem Chriſtianum introduxit. Ex omni namq; parte (ait Athanaſius) Omnia ſemper remedia Deus prouidit & prouidet; vt homines ad finẽ ad quem creati ſunt perueniant. Ipſe quoq; dies & longioris æui diligentia, multa quotidiè in lucem extrahit è tenebris. Non pauca quippe natura poſteris reſeranda reliquit; nec tota ſeſe adhuc prioribus ſęculis aperuit. Græcia non niſi poſt multa ſęcula ſtel-

lis nu-

lis numeros & nomina fecit. Vtrùm emergeret Iuppiter (ait Seneca) an occideret, an retrogradus eſſet? ante paucos annos didicimus. Quæ ſint quinq; ſtellarum ſtationes, quãdo in rectũ ferantur; quare agantur retro, qui matutini, quiq; ſint eorũ veſpertini ortus? modo cępimus ſcire. id ſcilicet ipſa agẽte natura; vt aliquid veritati, poſteri quoq; noſtri cõferant. Adeò enim non omnia ſimul animus proſpicit, adeò non omnia ſimul inuenit, vt adhuc ipſe ſe quærat. Pax & tranquillitas, qua Eccleſia Dei longo tempore fruebatur, partim extinxerat, partim debilitauerat feruorem illum pietatis; quo maiorum voluntates inflammatę videbantur. Intermiſſus erat frequentior Sacramentorum vſus: obtorpuerat Confeſſionis & Pœnitentiæ ſtudium: languere cœperat conſcientiarum examen; contemplationum aſſiduitas, meditationum deſiderium. remiſſa videbatur hoſpitalium cura; Catechumenorum inſtructio: xenodochiorum ſollicitudo: captiuorum redemptio; fraterna correctio, Concionũ aſſiduitas; Sacrificij frequentatio: ciliciorum & macerationum vſus. dormire quodammodo in ſumma Eccleſię Dei pace videbantur homines; viuebant vitam habentem, vt Pindarus loquitur, μελιτόεσσαν εὐδίαν, mellitã tranquillitatem, contenti pręſentibus. Interim venit inimicus homo & ſuperſeminauit zizania, earũ Hęreſum & peſtium, qui-

bus orbem Chriſtianum afflictum videmus, & dolemus. Sacram ſcripturam corrupit; Symbolum violauit: Sacramenta minuit: Trinitatem blaſphemauit: Patres & Concilia contempſit, Imperia perturbauit; viam ad Atheiſmum aperuit. Quid autem mali non fecit? Has animarum ruinas, non ferens miſericors & miſerator Dominus: ſuſcitauit admirabiles illos Eccleſię ſuę Ταυτης καὶ τηλικουτης προστάτας verbo & opere potentes, quorum ora, vos Euangelici, veſtra vos remordente conſcientia, in illa die tremenda nō feretis, Eckios, Roffenſes, Moros, Polos, Taperos, Heſſelios, Sotos, Hoſios, Cromeros, Sanderos, Socolouios; Pouodouios, Gorſcios, Nouicampianos, & mille alios. qui cùm egregiè ſuo munere, ſuaq; legatione functi, pro Chriſto fuiſſent; & pleriq; etiam vſq; ad ſanguinem reſtitiſſent; quos vos igne, ferro, laqueo, equuleo, omni ſuppliciorum & crudelitatum genere laceratos obtrūcaſtis; & his præterea calumnijs oneraſtis: quaſi quam profitebantur fidem, eam non ob amorem Chriſti, aut veritatis ſtudium; ſed ob Papæ metum, ob cenſuum, redituum, Epiſcopatuum, & id genus, amorem tuerētur; Viſum eſt viciſſim Domino, nouos homines ſuſcitare, ſine re, ſine ſede, ſine Epiſcopatibus, ſine Abbatijs, ſine pera, & gladio: inermes, incomitatos; viles in oculis ſęculi: nil timentes, niſi Deum; nil ſperantes, niſi à Deo:

qui

qui morte pro Chriſto, lucrum putarẽt: occidi poſſent, uinci nõ poſſent: quorũ ſocietas eſſet, vt Ioannes in ſua Epiſtola loquitur, cum Patre & Filio eius IESV CHRISTO: eosq;, ceu quaſdã auxiliares copias, in medias Euãgelicorũ acies, in ipſa veſtra viſcere immittere. quę, vos in omnib9 orbis Chriſtiani partib, quas veneno veſtro infeciſtis, Germania, Gallia, Anglia, Scotia, Polonia, Bohemia, Vngaria, Suetia, telis verbi Dei cõficerẽt: veritatis ſpicula intorquerent; in veſtris ciuitatib9, in oculis veſtris vobiſcum viuerent: ubiq; uobis etiam inuitis, & nolentibus occurrerent: nec ſolùm uoce & calamo, ſed etiam aſpectu ſilentioq; ſuo, ueſtrę uos perduellionis, & rebellionis admonerent. & illud quotidie, quod olim ueſtri ſimilibus hæreticis Auguſtinus, occinerent; quòd Dominus in cathedra unitatis, poſuit doctrinam ueritatis. Cathedram autem unitatis in ea collocatam oſtenderent, quę caput eſt orbis, urbe Roma: cuius fidem, Apoſtolica uoce laudatam eſſe ſcimus; in qua perpetuò conſeruatam eam fuiſſe, quę eſt ab Apoſtolis, traditionem, refert Irenæus: cui totam doctrinam Apoſtolos unà cum ſanguine ſuo profudiſſe, Tertullianus aſſerit. ad quam acceſſum habere perfidiam nunquam potuiſſe, teſtatur Cyprianus. quam ita ſemper incorruptæ Patrum doctrinæ fuiſſe tenacem; ut quoties Romana fides diceretur, Catholica intelli-

geretur, ex his, quæ ſcripſerunt Hieronymus & Ambroſius, didicimus. In qua ſemper Apoſtolicę cathedrę uiguiſſe Principatum, narrat Auguſtinus. quàm hæretici fœtoris ſemper expertem pęrmanſiſſe, nec unquam in ea, qui contrarium ſentiret, ſediſſe; quin potiùs Apoſtolicam gratiam inuiolatam cuſtodiuiſſe, teſtatur Theodoretus. ad quam propterea de fidei cauſis iam inde ab ipſis Apoſtolorum temporibus, nunquam non relatum fuiſſe; qui ſęculis aliquot fuit poſterior, Bernardus aſſerit. quod ibi potiſſimùm ſarcitū iri damna fidei ſpes foret, ubi fides non poſſet ſentire defectum. Idq; etiam inuitis & reluctantibus uobis, ipſis inferni portis frementibus, tanto cum fructu utilitateq; faciunt; ut omnis iſte, qué fabricare orſi eſtis, Sataniſmus: in patria præſertim noſtra, animam agere; & extremam partem deficientis Spiritus retinere uideatur. Dicentibus Heluetijs; Fides Luteri iam ultra Rhenum perijt: dicentibus Anglis, & ultra mare. Gallis, & ultra Alpes: Polonis, & ultra Iſtulam: Vngaris, & ultra Danubium. Dicentibus Italis, non tranſijt montes: dicentibus Hiſpanis, nec Pireneos. Caluiniſmus enim velut nouus Iupiter ſucceſſit, & garrulum Luterum, velut vetulum Saturnum exploſit: ſed & ipſe iam nutat, & Trideiſmus exulat. His porrò omnibus extremam mortiferam plagam Atheiſmus intentat.

Illud

Illud Cyclopicum, modo non totidem verbis occinentibus eius magiſtris, & miniſtris.

Νήπιος εἶς ὦ ξεῖν᾽ ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας &c.

Id eſt *Stultus es hoſpes, aut procul aduenisti,*
Qui me Deos iubes, aut timere; aut obſeruare.
Non enim Cyclopes bouem à capra nutritũ curant
Neq; Deos Beatos.

Aude negare. rerum te teſtimonijs non ſolum conuincam, ſed etiam obruam. quas ſi negaueris homo non eris. E veſtra ſchola, liber ille prodijt: de tribus mundi Impoſtoribus, Moſe, Chriſto (ſed horreſco referens) & Machometo. E veſtra ſchola perſonati illi emerſerunt. qui viuum infantem, recens è matris vtero eggreſſum, needum baptizatum, inſpectáte matre, in ardentem rogum iniecerunt; Bacchoq́; Pariſijs ſacrificauerũt. E veſtra ſchola fuerunt 150. illi Diaboliſtę in Gallia, libro Pariſienſi teſte, ducę Cenomano Deſtaleo, qui libellum Societatis ſuæ nomine A. 1578. euulgarunt. in quo Solénes eiurádæ Chriſtianę fidei ritus, & blaſphemias deſcripſerunt; & Baccho, Veneriq́; vno aut altero ab vrbe miliari, thure in igné iniecto ſacrificauerunt. Sub ueſtra ferula didicerunt; qui Deum Hębreorum Iehouã; Iouem Saturni filium intelligi debere docuerunt. In ueſtra ſchola didicit Ochinus in dubium vocare; An aliquis ſit adorandus Deus? & an illi curæ ſint res mortalium?

E ve-

E veſtra ſchola, Puritanus ille ante annos aliquot in Anglia prodijt, nomine Rett, è prouincia Noruegenſi, qui Chriſtum in rerum natura fuiſſe negabat: & ſi daretur, eiuſmodi Chriſtum fuiſſe, qualis in Euangelio docetur, neceſſariò credenda eſſe omnia & ſingula, quę docentur à Papiſtis. E veſtra ſchola, Valleus ille fuit publicus Atheiſmi patronus. E veſtra ſchola fuit Heildelbergenſis ille miniſter Neuſerus, qui effracto ob Arrianiſmum carcere, Conſtantinopolim fugiens Mamalucus factus eſt ex Arriano. Ex veſtra ſchola Concionatores illi fuerunt ſub Electore Palatino, qui datis acceptiſq; vltrò citroq;, à Deruiſis & Cadis Turcicis litteris; Machometi doctrinā & cęremonias diſcere, ſeminareq; occeperāt. E veſtra ſchola fuit ille Poſtelius, quem Henricus Stephani dicētem ſe audiuiſſe teſtatur; Fidem Chriſti meras eſſe nugas aniles. Sed aliam fingere formareq; religionem oportere è Moſaica, Chriſtiana, & Alcorana doctrina; eamq; fore omnium abſolutiſſimam. Ipſi Scotiæ miniſtri Caluinicolæ, teſtantur in Pręfatione ſuæ Bibliæ, multos in illo Regno è Caluiniſtis factos eſſe Atheiſtas, nouumq; ſibi nomen ſumpſiſſe rei conſentaneum, vocariq; Gottles, id eſt, ſine Deo, Deo vacuos. Quid illud conſilium in quadam Rupellana ſynodo, ab inſano miniſtro datum? Si inquit Papatum cupimus extirpare penitus, omne

quod dicitur Deus, negemus. Nam ſi talem Deum crediderimus, qualem fingunt Papiſtę, Creatorem, Omnipotentem, principio carentem, ſcelerata opera vindicantem, bona remunerantem, quicquid pręterea ſomniant Papiſtæ, tali dato Deo; conſequetur.

Noſtra videamus. Viſæ ſunt in Lithuania Theſes ſine nomine Autoris, euulgatę A. 1568: aſſerentes animas hominum vnà cum corporibus interire. Hanc doctrinam Domanovvſki quidam miniſter Cacangelicus publicè contra Ieſuitas defendit Polocię 1589. Interfuit & Budnæus, qui hac de re ſententiam rogatus à Patribus Societatis: reſpondit, rem adhuc apud ſuos eſſe dubiam, & ſub lite pendere. E veſtro puluere Leuan ille miniſter prodijt in Lithuania, ex Iudeo, Chriſtianus: ex Chriſtiano, Zuinglianus: è Zuingliano, Atheus. Tędet omnes memorare. Eant iam miniſtri & ſe glorientur eſſe chriſtianos: Aut ſunt, aut erunt omnes Atheiſtæ. ſi non ore, certè quidem corde. Vnde apparet (vos appello miniſtri miſera Lutheri Caluiniq; mancipia) Chriſtum non eſſe vobis propitium, qui ne defenſus quidem à vobis; vos à veſtris hoſtibus Tritheiſtis, & Atheiſtis defendit; imò potius multos ad Papatum quotidiè horum, quos perſequimini, opera ſtudioq; Patrũ reducit. Quę rerum veſtrarũ inclinatio, ſine pietate & prudentia

dentia Antagoniſtarum, & ſine ſingulari uitæ ſanctimonia expectari certè, ſperariq; non poterat. De quibus quia quęris, quęnam ſint iſta, vt tantum bonum orbi Chriſtiano importauerint: Reſpondebo tibi. Paternus affectus laborem non metuit.

Scias uelim Societatis huius primum ac præcipuum eſſe inſtitutum. Hæreticos, ab erroribus: Catholicos, à malis moribus; Gentiles, à falſis de Deo opinionibus reuocare: atq; ad unius ueri Dei cultum, pietatisq; ſtudium ardentiùs complectendum adducere. Id autem ut efficaciùs prętent, uerbo ſe prius uiteq; exẽplis in ſuis contubernijs inſtruunt. diligenter enim prius omnia diſcunt, antequam doceant: immo propterea diſcunt, ut doceant. Nulla enim res eos delectat, licet eximia ſit, quam ſoli tantum ſcire uellent. Quippe nullius boni poſſeſſio iucunda ſine ſotio eſt: Prodeſſe uero cui potes, magnę mentis, alti animi argumentum eſt. Vitę porro ſordes omnes lachrymis quotidie & oratione eluunt: carnis cupiditates comprimere, atq; ſub rationis imperium ſubiungere contendunt; ieiunio, cilicio, humi cubatione, Dyamaſtygoſi, & id genus alijs carni repugnantibus exercitijs. Scientes quod qui prius in arcem ueritatis & diuinorum Secretorum adyta penetrare contendit, quam uitæ maculas animæq; tabem ſanauerit; ita illa luce

reuer-

reuerberantur veritatis, vt non ſolum pro ea laborandum non putent; ſed etiam nomen ab ea veritatis abiudicent. & cum quadam libidine. & voluptate miſerabili in ſuas tenebras, vt loquitur Auguſtinus, medicinę maledicentes, refugiant. Vnde etiam quotidie occinunt. Cor mundum crea in me, Deus, & Spiritum rectum innoua in viſceribus meis. Spiritus quippe rectus is eſt. quo fit, vt anima in veritate quærenda deuiare, atq; errare non poſſit. Ipſe porrò non prius in eam ingreditur, niſi prius cor mundum fuerit. hoc eſt; niſi prius ipſa cogitatio ab omni cupiditate ac fęce rerum mortalium ſeſe cohibuerit, & eliquauerit. Anima porrò ad eum modum perpurgata; totos ſeſe ad rerum diuinarum contemplationem transferunt. in qua quò magis exercentur, eò magis hæc quæ videntur omnia, opes, honores, vitę commoditates, vt fumi vmbram, vel ſicut Paulus loquitur, vt ſtercora reputant. Quò magis autem, omnia iſtiuſmodi contemnunt; hoc magis in ſolius Dei amore exardeſcunt: hoc libetiùs meditationibus vacant. quas rectè quiſpiam conflictum eſſe dixerit, ſine ſanguine. Quem autem quis amat, omninò cauet ne villa vnquam ratione offendat. Inde fit; vt in cuſtodia ſui ipſius vigilantiſsimi ſint, horaſq; omnes auariſsimè ſeruent. Manè, diuina in ſe, & in genus humanum beneficia recognoſcunt. Meridie,

 & veſpe-

& veſperi exactiſsimam, cum animo ſuo rationem ineunt, quid horis ſingulis egerint; omnibus veſtigijs accuratiſsimè ſcrutantes, ſi quæ illicita deſideria mentem inuaſerunt: ſi diutius hæſerunt; ſi conſenſum extorſerũt: ſi etiam voluptatem attulerunt. Ipſam deinde linguam ad iudicium aduocant, ſi quid loqui pro Dei gloria omiſit; ſi quò verbo proximum læſit, ſi quempiam calumnia oppreſſit; ſi tacenda dixit, aut dicenda tacuit; Hinc manus & opera excutiuntur. Porrò ſi quę macula deprehenditur, dum paruula eſt, ad petram alliditur; lachrymarum balneo eluitur, Cataplaſma confeſsionis applicatur, & vix in alteram horam medicina reſeruatur. Ad eum modum diſpoſita vitæ ratione, compreſsiſq; carnis cupiditatibus, animi culturam adhibent: ſeq; in diuinorum librorum, Sacræ ſcilicet ſcripturæ, Sanctorumq; Patrum lectione, & meditatione penè incredibili ſtudio, & contentione exercent; volentes eſſe parati, iuxta Pauli pręceptum, rationem reddere omni poſcenti, de ea quę in illis eſt, fide. Poſtquam autem caro rationi, ratio Deo ſubeſſe atq; obtemperare didicerit: poſtq̃ nil timere niſi Deum, nil ſperare niſi à Deo conſueuerit: poſtq̃ in ſeipſis experti fuerint quibus modis & artibus efficiatur in anima puritas; quibuſue in eadẽ retineatur; quibus inquinata redintegretur; quibus redintegrata conſeruetur; nec vnq̃ deinceps inquinetur

netur tum primum ab his qui præſunt, in vineam Domini emittuntur, atq; ad operas diſtribuuntur. Non enim in ſola contemplatione: nec in ſola actione vitę ſummam ſitam putant: Sed quo Dei gloria, quo ſalus proximi, quo vocat Eccleſiæ neceſſitas; ſiue horum alterum, ſiue etiam vtrunq; adhibent. Alius itaq; confeſſionibus pœnitentium excipiendis vacat: alius Sacramentis diſtribuendis; alius ęgrotorum & debilium cura deſtinetur; alius in agone poſitos conſolatur; alius in xenodochio languentes curat: alius è carcere vinctos liberat; diſſidentes conciliat; vagantes per vrbium vicos ad templa congregat; per exiguas villulas & deuia oppidula Catechiſmum & doctrinam Chriſtianam prędicat; egentes opulentis commendat. Alij ſunt viciſſim qui refutandis hæreticis operam nauant; in medias ſeſe Hęreticorum acies proijciũt; & omnia ſimul & faciunt & patiuntur; vt Chriſti Dei noſtri nomen glorificetur, concionando, ſcribendo, diſputando. quales fuerant ante paucos annos in Anglia Campianus, Fordus, Briantus, Ceruinus, Perſonius & mille alij. Alijs non ſatis eſt orbis iſte his noſtris oculis obiectus, & his calcatus veſtigijs; Oceanum uniuerſum emetiuntur, nouas gentes, ignota orbi noſtro Regna & Imperia, in ultimis terrarum partibus ſcrutantur, quibus Deũ uerum annuncient. Qualis fuit Xauier, Criminalis, Con-

ſaluus, Aquauiua eius, qui totius Societatis præpoſitum agit hoc tempore Generalem, Frater, non corpore magis, quàm uitæ puritate germanus.

Nulla deniq; eſt orbis uniuerſi ora, ſedes, locus, inter Chriſtianos, Machometanos, Hæreticos, Ethnicos, quo nō fuerit ſonus Ieſuitarum, CHRISTI nomen prædicantium, exauditus. Non remoratur eos Tyrannus, non impedit Oceanus, (& qui maior Oceano murus?) perſecutor non deterret, percuſſor nō frangit, quominus ubiq; Dei annuncient uoluntatem. Quam tú, ſat ſcio, pertinaciam, & zelum non ſecundum ſcientiam appellabis. Sed ſi tibi Dominus aliquando Spiritum humilitatis, quo omnes deſtituuntur Euangelici, dederit; Dabit autem, ſi in recta fide nihil hæſitans poſtulaueris; iudicabis profectò, nil nimium eſſe graue; amanti. Tum & illud intelliges quod ab homine vinci nō poteſt, qui vitia ſua vicerit. Cæterum non eſt difficile diuinare, quid males. Illa tu ſtudia hymnis chorealibus efferres, in quibus ætatis tuæ florem contriuiſti. In illis tu menſis & occupationibus Ieſuitas videre velles, in quibus nil agitur, quod foras proferendum ſit: vbi diurnæ nocturnæq; perpotationes, πάσαγωτε κ᾽ ἀλλήλῳ σκυθικῆς peraguntur, in quibus te videre poſſent, vt Anacreon loquitur;

Iuuenem in ſcyphis valentem:
Minimè in ſcyphis pauentem:

Lepidum

Lepidum in ſcyphis choreuten;
Cytaraq; concinente
Temulenta verba fundentem.

Vbi alius inter manus è conuiuio tanquam è prælio auferatur; alius tanquam occiſus relinquatur; alij fuſi ſine mente, ac ſine vllo ſenſu iaceant. quiuis vt cum aſpiceret; non ingenuorum conuiuium, ſed Orſenſem aut Gruneualdenſem cladem & pugnam videre arbitraretur. Sed ſolenne eſt, ijs qui in amore & voluptatibus adoleſcentiam ſuam collocarunt, hanc etiam vitam, atq; hæc ſtudia dilaudare.

Quod ad iuuentutis inſtitutioné attinet, quam bonis artibus & moribus imbuendam ſuſceperũt. Si dixero; quòd Spiritus ſanctus huius conſilij & cogitationis initium Societati attulit, non ero ſimilis tibi, mendax. Maiorem quippe curam, ait Auguſtinus, adhibere oportet, in educatione; quàm in procreatione liberorum. Non enim fœlicitas eſt habere filios, ſed bonos habere. Plato quoq; nil accuratiùs admonet; quàm optimam, ac diligentem puerorum inſtitutionem, ex qua vna ſalus pédeat Rerumpub. Magiſtratus enim optimos haud poſſe fieri, niſi ciues, uiri ſint optimi: ex quibus Magiſtratus creantur. Viros porrò nunquam fore tales, niſi adoleſcentes, puerię; tales ſint. Quamobrem etiam nutrices monuiſſe dicitur, vt ne

turpes

turpes ac friuolas fabellas pueris occinant, ne illorum animos ſtatim ab initio, ſtultitia, & corruptis imbuant moribus. Plutarchus etiam paterna putat appellatione indignos, qui plus ſtudij ac temporis ponunt in comparandis pecunijs; quàm in filijs, quibus pecuniam relinquunt, ad virtutem effingendis. neq; hoc aliud eſſe, quàm magnam calceorum ſedulitatem habere, pedem verò ipſum paruifacere. Cicero nullum munus Reipub. afferri maius poſſe teſtatur, quàm ſi doceamus atq; erudiamus iuuentutem, ijs præſertim moribus atq; temporibus, quibus ita prolapſa eſt, vt omnibus opibus refrenanda, atq; coercenda videatur. Certè D. Paulus Timotheum ſuum hoc quoq; nomine commendat, quòd ab infantia ſacras litteras didicerit. Hieronymus verò tantus Eccleſię doctor, non erubuit & docere, & ſcribere; de Pacatulę infantulæ educatione, déq; filiæ inſtitutione ad Lętam. Facilis eſt enim ab improba vita, ad improbam fidem tranſitus. Vnde & Paulus loquitur, quòd multi repellentes bonam conſcientiam, naufragauerunt à fide. Et alibi: Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide. Sapiens quoq; teſtatur, quòd in maleuolam animam non intrabit Spiritus ſapientiæ, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus diſciplinę effugiet fictũ, & auferet ſe à cogita-

gita-

gitationibus quę ſunt ſine intellectu. Vnde fit, ut inſignis ille ortodoxæ ueritatis uindex Athanaſius, uitam prauam, parentem ſeu anteambulonem hęreſis appellarit; Baſilius gradum ad infidelitatem. Bonam autem conſcientiam, ubi mala ſedem occupauit; aut temperantiam ubi cupiditas imperium obtinuit; quàm ſit difficile animis hominum inſerere; tu fortaſſe non noſti, qui in hoc contentionis genere veſtigium nullum poſuiſti. ſed norunt hi qui quotidianum certamen, cum carne, mundo, & ſanguine ſuſcipiunt. Longo tempore, ait Auguſtinus, magnis uiribus, diuerſis artibus opus eſt, ut perſuadeatur ſuperbis, quanta ſit uirtus humilitatis; ut perſuadeatur cœcis, quanta ſit gratia lucis; ut perſuadeatur ebrijs, quanta ſit uirtus ſobrietatis. Adoleſcens enim, ait Salomon, iuxta uiam ſuam ambulans, etiam cùm ſenuerit non recedet ab ea. Et Salomone uetuſtior Iob. Oſſa, inquit, eius implebuntur uitijs adoleſcentiæ.

Viſum itaq; eſt Spiritui ſancto tam pios excitare Sacerdotes, ut exemplo; tam doctos, ut & uerbo iuuentutem erudirent: talemq; animã formarent, quam inhabitare Spiritus Sapientiæ non dedignaretur. Prior eſt, ait Auguſt. in recta hominis eruditione, labor operandi, quæ iuſta ſunt; quàm uoluptas intelligendi, quę uera ſunt. Sed ea de re nulla fortaſſe inter me, & te controuerſia eſt. Volui tamen

men partes earum occupationum attingere, quibus diſtinentur Ieſuitæ; quàmq; magna ratione adducti ſunt, ut inſtituendę Iuuentutis in timore Domini curam ſuſciperent. teq; eadem opera, & quinam ſint iſti uiri docere, & quænam ſit eorum pietas, uitęq; ſanctimonia, ob oculos ponere. Si mihi non credis, teſtes producam Romanos Pontifices. quos, ſi Chriſti vicarios putas, (id enim valde dubito) decretis eorum acquieſcas neceſſe eſt.

Paulus tertius Pontifex Maximus, cùm Inſtitutum Societatis breui formula comprehenſum legiſſet, vehementer illud approbauit, & in eo Spiritum Dei ineſſe teſtatus eſt; ſeq; non tenues fructus ſperare, neq; exiguas ex tam exiguo tenuiq; principio vtilitates ad Dei Eccleſiam peruenturas, expectare. quamobrem etiam illud Apoſtolica ſua autoritate Anno 1540. approbauit.

Iulius verò tertius ipſam etiam formulam litteris ſuis inſeruit, recepit, & approbauit. quam hic libet inſerere. Quicunq; in Societate, quam IESV nomine inſigniri cupimus, vult, ſub crucis vexillo Deo militare, & ſoli Domino ac Eccleſiæ ipſius ſponſæ ſub Romano Pontifice Chriſti in terris vicario ſeruire, poſt ſolenne perpetuę Caſtitatis, Paupertatis & Obedientię votum, proponat ſibi in animo, ſe partem eſſe Societatis, ad hoc potiſſimum inſtitutæ, vt ad fidei defenſionem & propagationē,

& pro-

& profectum animarum, in vita & doctrina Chriſtiana per publicas prædicationes & lectiones, & aliud quodcunq; verbi Dei miniſterium, ac ſpiritualia exercitia, puerorum ac rudium in Chriſtianiſmo inſtitutionem; Chriſti fidelium in Confeſſionibus audiendis, ac cæteris Sacramentis adminiſtrandis, Spiritualem conſolationem præcipuè intendat: & nihilominus ad diſſidentium reconciliationem, & eorum qui in carceribus, vel in hoſpitalibus inueniuntur, miniſterium ac reliqua charitatis opera, prout ad Dei gloriam & commune bonum expedire viſum erit, exequenda; gratis omnino, & nullo pro ſuo in prędictis omnibus labore, ſtipendio accepto, ſe vtilem exhibeat; curetq́; primo Deum, deinde huius ſui Inſtituti rationem, quæ via quędam eſt ad illum, quoad vixerit ante oculos habere; & finem hunc ſibi à Deo propoſitum totis uiribus aſſequi. vnuſquiſq; tamen ſecundum gratiam ſibi à Spiritu ſáncto ſubminiſtratam, & uocationis ſuæ proprium gradum &c.

Gregorius quoq: XIII. A. 1584. apertè confitetur, non immeritò fuiſſe ab anteceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus multa huic Societati conceſſa, ob egregias, ſic enim loquitur, virtutes, & dona diuinitus elargita. cum illius finis pręcipuus ſit, Catholicæ Religionis defenſio ac propagatio, animarumq́; in Chriſtiana vita & doctrina profe-

ctus. tùm etiam proprium eſſe gratiæ eius vocationis teſtatur, diuerſa orbis terrarum loca, ex Romani Pontificis, per Prępoſitos generales, directione peragrare; vitamq́; in quauis mūdi parte agere, vbi ſaluandarum ſua opera animarum copioſior prouentus, ad Dei gloriam ſperetur. His tu profectò ſi fidem non habebis, ego cur te Chriſtianum putem? non video.

Sed adhuc quæris; *Quæ ſit Ieſuitarum prudentia?* Id equidem rectius ab Euangelicorum miniſtris, vel à Mexicanis & Iapponenſibus Bonzijs, vel à Turcicis vel Scyticis Caddis, & Muleāmanis, quęſiuiſſes. Dixiſſent illi tibi, quod conſilij genus adhibeant; quaue prudentia & ſolertia vtantur, Ieſuitæ, cùm in medijs Euangelicorum & Paganorum vrbibus; cùm in oculis & auribus infeſtiſsimorum Principum, Chriſti Dei nomen intrepidè prędicant: Chriſti crucifixi ſigna ſtatuunt: cùm quos illi Deos colunt, eſſe Dęmonia oſtendunt: cùm Idola, cùm aras impias, euertunt: cùm templa Deo viuenti erigunt: cùm Reges ſacro Baptiſmate tingunt: cum Bonzios, idolorum miniſtros, ſub ſuaue Chriſti iugum ſubijciunt. Sed ad noſtra veniamus. Quære ex tuis Superintendentibus, & ſcholarchis, verum lynceos oculos, aut emunctas nares habeant Ieſuitæ; cùm artes eorum omnes, dolos, fraudes, technas, laqueos, & quas animis hominum fodiunt

diunt foueas, depræhendunt. Qua putas ſolertia opus habebāt, cùm Auguſtę Vindelicorum (quam quidam veſtrum nouam vocare Bethlehem propterea non dubitat; quòd in ea natum & approbatum ſit quintum hoc Euangelium, quod Auguſtanam Confeſsionem vocatis) ſedem figerent? cùm illam ipſam Auguſtanam perfidiam pro concione damnarent, collegia erigerent, adoleſcentes inſtituerent, veſtris Magiſtris & Miniſtris intrepidè vbiq; occurrerent? cùm animo vinci neſcio, ad certiſsimam mortem in intimam Angliam penetraret? cùm inuicta mēte ante Prȩſides, & Tyrānos ſtarent, & Chriſtū Dei viuentis, & ſponſam eius Romanam Eccleſiam, Romanumq; Pontificem Chriſti vicarium, ad ipſos laqueos & eculeos ſemiuiui & ſemiuſti confiterentur? Qua prudentia ſedem Ratisbonę fixerūt, cùm Halberſtadiū, Erfortum, Magdeburgam; in ipſam etiam penè deploratam Scotiam, & alia permulta hęreſi inquinata loca, mucronibus infeſta, & non niſi mortis contemptoribus peruia penetrārent? & Euangelicos omnes Chriſti inimicos, & Eccleſiæ Dei perduelles & libenter & liberè pronunciarent? Cùm deniq; in Ægypto, in monte Sina, in ipſa vrbe Conſtantinopolitana, Dei ſummi uoluntatem, omnibus inuitis Saracenis & Mamalucis annūciarent? & annunciant. Res tantę, Ieſumaſtix, non caſu, & for-

tuna, ſed mente firma, conſilio ſolido, diuina prudentia gubernantur: non prudentia carnis, quam tu ſolam ſapere forte putas; ſed prudentia, quam timor Domini inchoat, amor perficit.

Ais deinde: *Non tam benè refert Simia Simiam, nec ouum ouo, nec lac lacti tam ſimile eſt; quam Monachus Ieſuitæ; & Ieſuita Monacho.*

Profectò, ſi fatuo delectari uellem, nō eſſet mihi longius abeundum. Te riderem. Sed miratur alicubi Plato, qui fieri poſſit; ut aliquis in his ſuperbè ſapiat & glorietur, in quibus nondū quicquam ſapit. Tu quid ſit Monachus nondum ſapis; & tamen de Monachi nomine tibi delicias facis. Vide ne tua infantia, non ſcriptorum calamis; ſed pediſſequorum ſibilis explodatur. Nam ſi quicquām unquam, uel de Antonio, uel de Paulo, uel de Baſilio, Auguſtino, Bernardo, & alijs ſanctiſsimis Monachis auditione accepiſſes: ſi Chryſoſtomum de laudibus uitę monaſticę, ſi eam Homiliā, quam de Regis, & Monachi comparatione conſcripſit, & Cromerus noſter è Græca Latinam fecit, ſaltem inſpexiſſes; ſi ſcriptores innumeros, & Doctores, Monachos dilaudantes cognouiſſes; in Monachi nomine ita; vt facis, non luderes. Si tua inquām, mater eſſet Eccleſia Romana, quod tibi uerbum paulò ante, neſcio quo modo excidit; ſi tu eius eſſes, ut uideri uis filius, Monachorum appellatio-

nem

nem probri loco non duceres. At tu præ ſtupore non conſideras; quòd cùm Ieſuitas Monachis facis ſimiles; Paulo, Antonio, Auguſtino, Baſilio, nolens ſimiles facis. Vide quam ſit potens veritas, & da honorem Deo. Etiam per hoſtium veritatis iugula, cùm ille vult, erumpit, nec magis quidquam timet, quam taceri; oditq́; moras. Sed ego

Non dicta tanti ponderis tua æſtimo,
Mortalis, vt perennia Deorum queas
Temerare iura, inſculpta mentibus hominum.
Non hæc heri, aut ſunt nuper admodum edita.
Vixere ſemper, quoq́, tempore cœperint,
Scit nemo.

Quoniam autem conuitiorum tuorum ſemper incipit ex fine principium: manum tibi porrigam, vt ex iſto quoq; cœno pedem extrahas. Dicam ego tibi, quid ſit magis etiam inter ſe quàm ouum ouo, & lac lacti ſimile. Tu & tui Euangelici, Paganis & Machometanis longè eſtis ſimiliores; quàm Monachus Ieſuitæ; & Ieſuita, Monacho. In hoc enim Ieſuita Monacho ſimilis eſt; quia Caſtitatem uouit, Paupertatem ſuſcepit, Obedientiam promiſit: at in habitu cultuq́; corporis differunt. Ceterum Euangelicus omnis ſiue ſit Luteriſta, Caluiniſta, Trideiſtą, Anabaptiſta; ſiue cuiuſcunq; tandem ſectę diſcipulus; nulla prorſus in re, à Pagano & Machometano diſſentit. Blaſphemat Paganus Chri

ſtum Dei viuentis ;blaſphemat, & Trideiſta: Ridet ille Baptiſmum; ridet & Anabaptiſta: Fabulam reputat Euchariſtiã, reputat, & Caluiniſta:Imagines il le reprobat;reprobat, & cõminuit Luteriſta.Sãctorũ inuocationẽ ridet Paganus; ridet, & Euãgelicus.Machometus ſacras Imagines deleuit, & Mechenſium quoq; ciuium ſuorum idola Aleth, & Tagot, comminuit; & Euangelici Chriſti crucifixi, omniumq́; Diuorum imagines aboleuerunt. Machometus nullum ferre iudicem voluit ſuæ doctrinę; prohibet etiam ne ſui diſcipuli; Iudęos aut Chriſtianos iudicare de fide patiantur; idem faciunt Euangelici. Machometus diem Veneris ut diem Dominicum haberi voluit; ita Euangelici. & inter eos Lutherus, diem Dominicum Paſchæ, in alium diem voluit immutari.& Carolſtadius nullum aliũ diem pręter Sabbatum, eſſe in honore uoluit.Machometani non circuncidunt, niſi ſeptem aut octo annorum pueros; Euangelici etiam adultiores uix baptiſant. Machometus Polygamiam docuit; Euangelici, Anabaptiſtæ liberaliter exequuntur. Hecerus enim tredecim vxores habuit: & Regiomontanus quidam è Carnifice miniſter, ſeptem uiuas in diuerſis locis vxores aluit. Machometus ut ſuis, piam in ſpeciem, uitam commendaret, negabat aliena cuiquam prodeſſe opera; Lutherus & cũ eo totus Euangelicorum cœtus, non modo Sancto-

rum negat opera alijs vtilia;ſed noſtra propria omnia,facit peccata. Machometus ſacrorum & religionis ſuę, quaſi quoſdam Antiſtites aſsignauit, Muphtios, Caddeos & Talimeanos; Euangelici ſacrorum curā & myſteria omnibus in uniuerſum communia eſſe volunt.nec,vel uiliſsimos cerdones pelliarios, ueſpillones, lenones, imò nec ipſas fœminas ab ea repellunt. Machometani Chriſtianos faciunt impios; quod Chriſtum Deum ſuum ederent: Euangelici nos appellant θεόκτονας, ſiue Deicidas; quòd Dei filium deuoramus. Summa eſt. nec ouum ouo, nec lac lacti, ita ſimile eſt, vt Euangelicus Machometano: & Machometanus Euangelico.

Quod ais: *Vultum eos ad decipiendos homines habere accommodatum; os in latebris Jeſuiticis compoſitum; oculos & totius corporis habitum, atq; ipſam rationem ad ſimulandum, & diſſimulandum accommodatam.*

Quis malus Dæmon os tuū impudens Trheijcis compunxit notis? Deus bone, quàm ineptus es, quàm tuijpſius amans, ſine riuali. De ſaxo ſcilicet in crucem. Pudoris exitium. Iam mare haud eſt mare. Tu mare mendaciorum acerrimum. Omnibus, ut video, ſanctitatibus bellum indixiſti. quando Modeſtiam, Temperantiam, Grauitatem, os non garrulum,oculos non vagos, inceſſum minimè præcipitem, & orationem maturam, conui-

tio &

tio & repræhenſione dignam putas. An eos eſſe tuis miniſtris Euangelicis ſimiles malles; qui non ſolum eſſe, ſed etiam videri volunt impudentiſsimi. Sicut à Smidelino factum in comitijs Vormatienſibus legimus; vbi Lutheri verbum è loco ſuperiore, cum ſago & manica picturata, & uenatorio cultro ad latus prędicabat. Sed domum te reducam. Vilnę habebatur Zuingliana Synodus ante triennium. Ibi vnus ex Synodi miniſtris, in platea quadam vltra pontem Bernardinorum, à lictoribus caſtrenſibus in adulterio captus; & in alieno habitu in arcem perductus eſt. Vis aliquid lepidum de fratribus veſtris Anglicis Euangelicis audire? Tam ſunt proiecti pudoris; tam ſunt amici Caſtitatis & continentiæ; vt eos nõ pudeat mulieres pro cõcione ad libidinem deligere. Cathedras enim aſcendunt, modo non meretricia veſte induti, lotiq́; vnguentis, comptiq́; crines. & vt forma placeret;oculos illiti. nec ſolum ornatu, & ſubcriſpo capillo; ſed impudentia quoq; mulieres imitantes, libidineq́; caleſcentes, vagis oculis circumſpiciunt; vaſaq́; ſibi neceſsitatis (ſic enim appellãt) in ipſis templis aſsignant. Sed nec per vrbium uicos & plateas unquam tranſeunt; quin illis ubiq; delecta ſit ad libidinem mulier. Accipe exemplum, & iniurato crede. Lecta eſt ante paucos annos in tribunali Londinenſi ſchędula per quędam miniſtrum,

ſtrum, iudici Regio, ſed per errorem porrecta, (aliam enim ad cauſam pertinentem offere decreuerat, quam in eodem ſinu geſtabat) in ea cuidam mulieri narrabat, quam ardenter in illam, dum concionaretur exarſerit; quàm libenter oculos ad eius formam adiecerit.& id genus amores ſuos prędicabat, atq; ad libidinem ſollicitabat. Huius autem laſciuię vehemēter puduit Regię potentiæ administros. niſi quod ita iam peruulgata eſt ministrorū impudentia, ut nullus eſſe locus animaduerſionis videatur. Qui fit ergo, mi Actor, ut quam tui ſimiles Euangelici in ſuis miniſtris modeſtiam & grauitatem requirunt; tu eam in Catholicis Sacerdotibus repræhendas? Sed accipe & aliud de Veneris Amaſio Beza veſtro, illa inquam putida mundi veſſa,& digito compeſce labellum. non meis illum verbis depingo, ſed proprij Cænotaphij teſtimonio, conuinco. Viſa fuit Geneuæ caſtiſsimi Bezæ ſtatua in ſuo Mauſolęo collocata. Ea porrò quatuor columnis ſuſtinebatur. In prima columna exculpta videbatur opere cœlato candida Bezæ lupa, cum ſuo pharetrato Cupidine. aberat tum ſcilicet Audebertus. In ſecunda, Harphya. In tertia, Bellona. In quarta Chymęra. Quatuor ſcilicet Bezę veſtri, virtutes Cardinales repræſentabant. Venerem, rapinam, bellum,& fraudem. quibus hic Apoſtolus miſeram mactauit Galliam. Buchananus

illa Scotiæ peſtis nocentiſsima, bis à ſuſcepta Eccleſiaſticæ vitæ profeſsione apoſtatauit: ter publicè adulterij pœnas luit: ſemel ab Inquiſitione ſtigmata ſuſcepit. Poeticæ fidei profeſſor in omni vita ſua fuit. Reliquos non commemorabo.

Οἷσιν οὔτε βωμὸς οὔτε πίστις οὔτ' ὅρκος μένει

Quibus nec ara, nec fides, nec iuſiurandum manet.

Illud nõ dubitáter affirmauerim. Omnes quotquot ſunt, quotquot erunt, Euangelicorum miniſtros, tam eſſe faciles ad omnes errores, ad omnes impietates ſuſcipiendas; vt non dubitarem eos & Veneris, & reliquorum Deorum fore Sacerdotes: prçter quam Magnæ matris, vbi tales caſtrantur. Miniſter ille veſter Minſcenſis, nonne propriam filiam, vxore viuente, conſtuprauit? Id certè vobis Euangelicis notiſſimum eſt, qui ad huius rei memoriam adhuc erubeſcitis. Lutherus veſter, nonne matrem illam, ſi modo ſibi remiſſa peccata crederet, ad cœlos abire ſtatim in Lypſia iuſſit? quæ ex ſuo filio filiam ſuſcepit, eamq́; porrò eodem inſcio & patre, & filio, foris educandum emiſit. Et cùm eſſet annorum 12. ſub prætextu pietatis tanquam orphanam, fraudis ignaro filio, viciſſim in vxorem dedit. idq; matrimoniũ Lutherus eſſe legittimum vnà cũ ſuo VVittembergenſi Senatu, decreuit. Teſtis eſt Naſus. Finxerũt olim Poetç Iunonem Summi Iouis & coniugem & ſororem, ſed finxerunt tãtum.

tum. Porrò ſi nunc viuerent, Lutherum profectò Ioue, maiorem Deum facerent, qui tam compendioſam humani propagandi generis artem calculo ſuo approbauit; vt vni viro vnius mulieris eſſe impunè liceat, & patrem, & fratrem, & coniugem.

Si igitur argumento eſt Ieſuitas ob vultus, & veſtis modeſtiam, & compoſitum inceſſum, & oculos non vagos, Sycophantas eſſe; tu & miniſtri veſtri, quos dixi, quoſq; non dixi, qui lupas, & gladios, Cādidas, & Audebertos ſemper ad latus alitis: qui ſubcriſpo capillo, picturata manica, vultu, veſteq́; vtimini penè muliebri: qui de ſuggeſtu mulieres ad libidinem deligitis; fallaces, ſalaces, mendaces procaces, furaces, proiecti proſtitutiq́; pudoris homines cenſeamini, neceſſe eſt.

Quòd eos in Dei Sanctorumq; cultu imitari dicis ſuperbas, ſtultas, atq; impudicas mulieres; quæ ſplendidius veſtiri volunt quàm honeſtæ matronæ. & ea ratione oculos ſpectatorum in ſe conuertere, ac eorum cupiditates inflammare.

Mome maledicentiſsime, putas te crepidam Veneris Praxitelianæ damnare? Si Deum amares, ſi maieſtatē diuini numinis, & quotidiana in genus humanum beneficia, cum animo tuo reputares; nullus vnquam tibi cultus, nullus ornatus, nullus ſplēdor ad honorem Dei collatus, ſatis eſſe magnus videretur. Sed tua ſuperbia aſcendit ſemper. In cœ-

tum enim os tuum ponis: Deum Patrum noſtrorum per latus Ieſuitarum repræhendis, qui tabernaculum byſſinum, veſtes purpureas, templum cedrinum, vaſa aurea, quadrangulum præcioſo lapide diſtinctum, Sardio, Topazio, Smaragdo, Carbunculo, parari ad honorem ſuum præcepit. Dauidis quoq; autoritatem eleuas, qui ſibi laudi gloriæq; duxit, quod decorem domus Dei dilexerit. & Paulo notam iniuſtam inuris, qui omnia in Eccleſia Dei fieri vult ordinatè.

Quòd Jeſuitas Cabaonitas vocas. Inſatiabilis eſt maledicendi cupiditas. Sed hîc quoq;, crede mihi, cauſæ tuæ ſanguinem mittam. Nimis infans es in rebus Euangelicorum tuorum. Dicam ego tibi ex illorum ſententia, qui ſunt veri Gabaonitæ; Luterani, & Caluiniani. Cum enim Trideiſtæ ſurrexiſſent, (quorũ in patria noſtra Prothomagiſter Gregorius Paulus Brzezinenſis, Valentini Gentilis diſcipulus, extitit) accuſareq; Luteranos ſimul & Caluinianos cœpiſſent, quòd quendam Deum Trinitatem colerent; quòd ὁμοούσιον adorarent, quòd perſonas in Deo, naturas, Subſtantias, Hypoſtaſes, proceſsiones, & emanationes prętèr ſcripturã, & cõtra ſcripturã, fingerẽt. Illi verò ipſa nomina his ipſis verbis ſcripta, oſtẽdere accuſatoribus ſuis, in ſcripturis Canonicis nõ poſſent; ad Patres, Concilia, antiquitatem, vniuerſitatem, receptum in omni Eccleſia

ſenſum

ſenſum & conſenſum recurrebant; & illorum authoritate fidem Trinitatis defendebant. At Trideiſtæ; Vetuſti ſunt (dicebant) iſti panni, quos vos primi laceraſtis in aliis articulis fidei. Gabaonitarum ſunt iſti exoleti ſacci, utreſq; obſoleti; & lacerata iamdudum calciamenta.

Quod Germaniæ incendium: Antuerpiæ direptionem: Angliæ Reginam veneno & inſidijs petitam: Scotiæ Reginam indigniſſimo mortis genere ſublatam, Ieſuitis tribuis: quaſi omnibus in locis motus excitauerint, claſſicumq; cecinerint.

Tua ſunt hæc, mi adoleſcens, non ueritatis uerba. Sed, ſoluam & hoc. Graue eſt debere cui nolis. Accipe. Germaniam Lutherus, & Pacimontanus, perturbauit: Galliam, Caluinus, & Beza. Flandriam, Spangembergius. Angliam, Martyr, & Bucerus. Scotiam, Buchananus. Tranſyluaniam Blādrata. Poloniam Stancarus, & Sarnicius. Si iſti Ieſuitæ fuerunt, & non Ieſuitarum hoſtes, & perſecutores teterrimi; hoc primum erit in omni tua actione uerum verbum, quod dixiſti. Ferendo, non inferendo iniurias iſta Regna peruaſerunt Ieſuitę. nec ſolum eam uim timuerũt nunquam, quæ ad corpus vitamq; peruenit; ſed nec eam quæ periculo mortis iniecto, animũ formidine perterritum loco ſæpè, & certo de ſtatu dimouet. Non eos, crede mihi, rotæ veſtræ, non radij, non ungulæ, non

rota-

rotabula, non lebetes, non Cataſtę, non Catapultæ, non frixoria, non digitoria, non pugillaria, non manus ferreæ, non ſubulæ, non ſuccenſoria, non ollæ æneæ, non ſartago, non cruces, non ſcorpiones, non gladij, non equulei, non mille crudelitatis & acerbitatis genera (nil enim in veſtra perſecutione defuit, quod uel auribus, vel oculis poſſet terrorem incutere; quæ in theatro crudelitatum veſtrarum, Liber Antuerpienſis, oſtendit.) retardare potuerunt; quo minùs in obſeruatione fixi conſilij perdurarent, Deiq; vobis annunciarent voluntatem. Et tamen uobis vim fieri vociferamini, cùm vbiq; ita eos enecatis, non odij ſolùm, ſed etiam ludibrij cauſa; vt & arcę, crucibus deeſſe; & corporibus, cruces videantur. Crocodili ſunt iſtę lachrymæ. Tollat té, qui non nouit.

Progrederis longius. & ſapientiſſimũ ac fortiſſimum Regem Stephanum, ijsdem Gabaonitarum (Ieſuitas intelligit) procellis, & fluctibus, ita abreptum vociferaris; vt niſi poſtea conſilium & moderationem adhibuiſſet, cum Riga nobis, & Rege Suetiæ, aut certè Daniæ bellum fuiſſet ſuſceptum.

Aiacem te mente motum dixeram, futurum putans; vt odium tuũ in vníuerſam Chriſti Eccleſiam ſolis Ieſuitis flagellandis exſaturares: nunc te vocare ad pileum uideo, etiam Reges. Fortè, ſicut Aiax inter Gręcos arietem, vt Vlyſſem; ſic tu inter orthodoxos,

doxos, Regem tibi Stephanum, ut magni Gregis Ducem, calumnijs & contumelijs vexandum ſuſcepiſti. Quo nomine vereor qui te non amauerit, ne lutulentum ſuem: qui etiam oderit, ne Cerberum tricipitem putet. Durum quod dolet, vt non doleat. ita tibi libet, cum omni mortalium genere volutari; ita uolupe eſt ad omnia adlatrare. quamuis non eſt hic latratus; ſed morſus. Non queo diutius linguæ tuę procacitatem tolerare. Ipſe quoq;

Juppiter, linguæ petulantis odit
Glorias.

Quamobrem ut Homerus loquitur;

Σοὶ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν
Εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε μένος δ' αἴθωνι σιδήρῳ.

Tibi ego cõtrarius vado, & ſi igni manus ſimiles eſſent:
Si igni manus ſimiles eſſēt, robur autem ardenti ferro.

Tu furijs abreptus, tu fluctibus obrutus, Tu procellis implicatus, Tu Megęrę facibus accenſus, Tu Cacodęmonis audacia armatus, audes notam incogitantis minimeq; meditati conſilij ei Regi affingere; cui orbis vniuerſus iſto noſtro ſęculo primas ſapientię, & fortitudinis partes tribuit? Audi Socolouium eius Academiæ, pro qua te pugnare ſimulas, olim alumnum & profeſſorem, nunc vniuerſę patrię præcipuum ornamentum; de Rege Stephano quaſi omnium ore loquentem: Fuit ille in Eccleſia Dei pluſquam ſacerdos: in Repub. pluſquam

Rex

Rex: in exercitu, plusq̃. Imperator: in acie, pluſquã miles; in iudicio, pluſquam Iuris conſultus: in dicendis ſententijs, pluſquam Senator: in aduerſis ferẽdis, plusq̃ vir: in publica tuenda libertate, plusq̃ ciuis: in amicitijs colendis, pluſquam amicus: in conuictu, plusq̃ familiaris: in uenatione, pluſquam Leo. Si ſacerdotem, procellis abreptum; ſi Regem, fluctibus oppreſſum; ſi Imperatorem, timidum; ſi Senatorem, conſilij inopem; ſi virum, viribus carentem, Regem Stephanum putas? non contendam cum tua pertinacia. Facilius enim te, quiſquis ſapit, à dæmone obſeſſum iudicabit, quàm Regem Stephanum, manu & conſilio fortem negabit. Vtinam autẽ in animos minus obſtinatos optimi Regis conatus incidiſſent. *Rebellionis periculum denuncias, ſi ſedem Ieſuitæ Rigæ fixiſſent.* Sed quid quæſo te? Ieſuitę Gedani fuerunt, cùm Euangelici arma paricidialia in illum ipſum Regẽ & Dominum ſuum cœperunt? Quis ad eos Ieſuita, quis Monachus facem in ciuitatem intulit? Quis Epiſcopus ad rebellionem armauit? Id quidem tu non ſolum de Sacerdote, ſed ne de vllo Catholico homine affirmare poteris, etiam ſi ſis impudentiſſimus. Euangelici fuerunt, & qui ſuaſerunt, & qui bellum ſuſceperunt. Nec enim fieri poteſt, VT DEO REBELLES, REGI SINT FIDELES. Aiunt Hoſium Cardinalem ſępè dicere ſolitum:

Qui

Qui non eſt Papiſta;non eſt Regiſta. De hæreticis, dixit olim Martianus,non de Catholicis; quòd malè parent Regibus ſuis. Catholici,Petro præceptore, & bonis obedire conſueuerunt,& diſcolis. illorum bonitate ad conſolationem vtuntur; iſtorum peruerſitate ad probationem: pro utriſq; Deum deprecantur. Quis Ieſuita Albertum in Pruſsia Principem,in Regem Sigiſmundum primum,armauit? Quis Archiepiſcopũ Rigenſem, in Sigiſmundum ſecundum incendit? Nonne Euangelici Magiſtri, & miniſtri? Quis turbas Derpati ſuſcitauit? Quis Moſcos ad illius obſidionem; atq; ad totius Liuoniæ vaſtationem è proprijs ſedibus,exciuit? Nonne VVittembergenſis ille pellio, ſcelerati Magiſtri Lutheri,peſsimus diſcipulus. Non Ieſuitarum illa ſunt;ſed Euangelicorum Epiphonemata: Euangelium ſitit ſanguinem. Et illud; Venit tempus, cùm ſacrificium Deo placatũ fiet, ex capitibus Monachorum bibere. Addam aliquid de Scotia. Miniſtri fuerunt Hæretici, non Ieſuitæ Catholici, qui Regem & Reginam domi,conſilio;foris, omnibus caſtris & armis oppugnarunt; qui publicè decretis eorum in foro Edemburgenſi reſtiterunt. Vis nomina edam?Robertus Pontus, & Gualterus Bacanquelus à Iacobo Lauſonio irritati. Miniſtri fuerũt in Flandria,toti terrarum orbi conſpuendi, qui legittimæ poteſtati reſiſtendum docuerunt. Mini-

ſtri in Gallia, qui in cœdem Regis, & Reginę ſiccariorum manus armauerunt, & audaciam aluerunt. Scis quid factum de Riga, deq́; Dantiſco fuiſſet, ſi quid ibi Ieſuitę potuiſſent. Non ex triēte, aut quincunce; ſed Regio ſuo iure, Rex in eos vteretur: Non ex ſemiſſe, vel dodrante; ſed ex aſſe, ciuitates illas poſſideremus.

Quod tumultus Vilnenſes, perturbationumq; procellas, & ciuium atq; nobilium concurſum ad prælium committendum, à Ieſuitis ſuſcitatas memoras.

Hoc nemo alius, Deum timens, dixit vnquam, pręter te: Sed uideo quid velles. Euangelicis in Catholicos graſſandi, ſęuiendiq́; liberam poteſtatem; Catholicis ne proprij quidem tuendi capitis facultatem relictam, velles.

Ais deinde: *Conſpiratione facta, cuius Ieſuitæ autores atq; duces extiterunt, magna vi atq; impetu in eam domum irruunt (Catholici) quæ vna in tota vrbe monumentum antiquitatis extat Luteranis conceſſa, Rege atq; omnibus Senatoribus approbantibus.*

Ἀτρείδη μὴ ψεύδε᾽, ἐπιστάμενος σάφα εἰπεῖν.

Atride (ait Homerus) *ne mentiaris cum poſſis vera dicere.*

Profectò huius dicti tui, Orcus videri poſſet immanis opifex. O indolem impuriſſimam, (Modeſtè, non vt meritus es, ago tecum adoleſcens. Nam ſi tibi tuiq́; ſimilibus Euangelicis iraſcendum eſſet.

non iraſcendum, ſed inſaniendum eſſet.) Vt animum fartum calumnijs, exonerare cupis? vt mentem mendacijs pręgnantem, excutere geſtis? Equidem ita prōptus, & acutus es, ad omnes calumnias omnibus veſtigijs perſequendas; vt abs te nil aliud expectemus, quàm vt affirmes Ieſuitas in paradiſo ſerpenti perſuaſiſſe, Euam vt ſeducerent: aut Pilato authores extitiſſe, Chriſtum vt in Crucem ageret. Quæ eſt per Deum hęc tanta calumniandi libido? Quę lacerandę famę cupiditas: quod intorquendarum calumniarum deſiderium? Iam vereor, ne & Gręcis adfuiſſe dicas Ieſuitas, cùm Helenam raperent. Nimium ſapis Monocule. Nimium ſapere, nimium malum eſt. Si bonus patrię tuę ciuis eſſes, pacis amans, & quietis; Reipub. vulnera, non refricares. Optima enim ciuilis belli defenſio, obliuio eſt. Nemo catus furorem illum populi, nemo vim illatam, nemo flammas immiſſas probauit: legum & Regum vinculis, ac legitimi Magiſtratus autoritate, cohiberi illa veſtra audacia debuit; qua vobis fas iuſq; eſſe voluiſtis, ipſius Regni ſtatutis prohibita, conuenticula agere. Templum, contra templum; altare, contra altare; cathedram falſitaſis, contra Cathedram veritatis erigere. Quam pœnam, vobis nouatoribus Regni ſtatuta irrogant, iam diximus. Extat illa ſancta Confœderatio Corczinenſis, in qua ſeſe Rex, & Senatus, & vniuerſa Nobilitas

obſtringit, contra talem, ſiue tales inſurgere ad eorum deſtructionem: qui errores hęreticales in Regno fouere aut manu tenere cuperent. Sed hoc iam ante dictum eſt. Si Rex, ſi Senatus, ſi Equites ad iſtorum deſtuctionem inſurrexiſſent; plebs non inſurrexiſſet. Sed Sacerdotum, eſt Dei aperire myſteria. Voluit hic quoq; Dominus infirma mundi eligere, vt confundat fortia. Voluit ex ore infantium & lactentium laudem ſuam perficere. qui ſi & ipſi tacuiſſent; lapides locuti fuiſſent, aut ſuo ſe quiſq; loco, & ordine mouiſſet. Sic Dauidi à cęde Goliati reuertenti, nō equitum turmę; ſed mulierculartum agmina occurrerunt gratulantium & acclamantium; Saul occidit mille, & Dauid decem milia. Sic Hieroſolymam ingredienti Christo, non Principes Sacerdotum, non Scribę & Phariſęi; ſed pueri Hebręorum occinebant in via; Oſanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini. Sed non eſt huius tempus ſermonis, nec tu diuina potes, per ętatis tyrocinium, mente & animo percipere myſteria. Non proijciam Margaritas ante porcos. tua hæc eſſe, aio, non veritatis verba; iſtiuſmodi fulmina à Ieſuitico eſſe numine profecta. Sed in eo quoq; vehementer erras. quòd nulla vnquam ante aduentum Ieſuitarum talia pericula, ciuibus noſtris acciderint. Infantem te dixi; nunc in patria hoſpitem, & peregrinum affirmo.

Nam

Nam ſi ætates,& tempora, diligenti ſtudio perſec utus fuiſſes; quod dicis,non diceres. Vbi gentium fuerunt Ieſuitę, cùm Academiæ Cracouienſis ſtudioſi, in Luteranorum cuneos in Ducali domo, vt uocant, Deum blaſphemantes, irruerant: cùm extincti Hęretici cadauer ad ſepulturam deportati, excuſſerant: cum Arrianorum Synagogam vexauerant; libros impios diripuerant: cum Euangelicorum cadauera exhumata, eſcam uolatilibus cœli obięcerant. Hîc profectò effugium inuenies nullum; quàm,ut ipſos Academię Cracouienſis Profeſſores flabella ſeditionũ appelles; & earum quas ego commemoro, tu ignorabas,turbarum & ſeditionum incentores. Sed ego te docebo adoleſcens. Neminem eſſe tibi putes amicum, cui tu non es. Vos autem Euangelici cùm ſitis omnibus erroribus amici: non poteſtis non eſſe,niſi ſolis non errantibus,inimici. Miror profectò, ne etiam ungues à natura Leoni datos gaudeatis, ut offendant: manùs homini attributas doleatis; ut defendant. Sed nouum non eſt Euangelicis, rerum & naturarum ordinem peruertere.

Arma ad extremũ irritas,claſſicũq; canis,cùm ais; *Erant quoq; maiores noſtri Catholici. et tamen,arma contra illos Jeſuitas Cruciferos ſumpſerant; et eos omni ratione perſequendos exiſtimabant, Sũmo Pontifice repugnante,& eius Legatis reſiſtentibus.*

Iam

Iam te, uideo Veritas: iam; uox & ratio, & ipſa deficit oratio. Arma expedis; quando deſunt argumenta. Pacem ſuades; bellum moliris. Altera manu, panem; altera, tenes lapidem. Quid ſi ſcuta ferres, quos proflares Spiritus? Id ſcilicet ſolẽne eſt Euangelicis Hypocentauris, cùm ratione deſtituuntur, acre ferum ſtringere. uel potius omiſſa ratione; manum armis admouere. At tu μυρμηκίας δὲ κἂν περῶς λεὼν βρυχων. Formica ſanè es; rugias licet ut leo. Obtuſum telum uiri imbecillis, nullius precij. Narro tibi. non fore uobis difficile, non repugnantes uincere: Arma Ieſuitarum ſpiritualia ſunt; non carnalia. Hoc tamen moneo. Faciliùs fore Ieſuitas perdere, quàm uincere. Sed quam tantam acerbitatis cauſam præbuerunt?

Quia, inquis, ***maiores noſtri arma in Cruciferos ſumpſerant. & exiguum ſit diſcrimen, inter Cruciferos et Ieſuitas: inter Crucem, et Ieſum. Crux enim, et Ieſus eandem propemodum vim habent pietatis, & modeſtæ religionis.***

Sanuſnè es? Vigilaſnè? Miminè, an oratoris perſonam ſuſtines? Ludibundus vt video de ſanguine ciuium decernis: plane Syllano more. Vel ſicut olim Herodias, in conuiuio petens caput Ioannis Baptiſtę. Arma in Cruciferos maiores noſtri ſumpſerunt: Quia ſcilicet Cruciferi maiores noſtros armis appetiuerunt: caſtris oppugnarũt: vrbes exciderunt; agros depopulati ſunt: nec ipſos vnquam

Reges

Reges noſtros, pace & ocio frui permiſerunt. Id ſi faciunt Ieſuitæ, ad belli me ſocietatem, pro patriæ ſalute adiungam: ſigna ſi uoles præferam: calonis etiam munere & officio fungi non dubitabo; dum à ciuium ceruicibus extrema pericula depellantur.

De Hiſpanica Monarchia, de Religionis cuſtodia, de Regis Catholici crudelitate (ſic enim tibi libet blaterare) de miſera hominum illorùm conditione, quæ ais.

Scapularum, vt video, agis confidentia. Neſcio vtrum tibi tonſor iamdudũ vngues dempſerit. Moneo te, ut caueas, ne Cantaber aliquis audiat, & perticam quærat. Poſtquam tuę ſcapulæ virgarum vim virtutemq́;, contempſerunt; Libẽter illi relinquam refutandi, corrigẽdiq́; tui, negotium. Iniquum puto alijs vacare bellis, cùm patria vaſtatur. Te verò valde miſerum ſtatuo, cùm re, tùm hoc ipſo; quòd non ſentis, quàm miſer ſis. Bellum difficile ſuſcepiſti. Aut animo demas, O bone, aut viribus addas. Si Catholicus eſſes; & Regis Catholici zelum probares, & Inquiſitionis neceſſitatem intelligeres, & ſubditorum obędientiam, fœlicitatem potius quàm miſeram vitę conditionem, vocares. Fęlix (ait Auguſtinus) neceſſitas, quę compellit ad meliora. Quomodo autem, Reges ſeruirent Domino in timore; niſi ea; quę contra iuſſa Domini fiunt; religioſa ſeueritate prohibendo, atq; plectendo? Aliter enim Deo ſeruit, quia homo eſt; aliter quia &

Rex

Rex eſt. Quia homo eſt; ei ſeruit, viuendo fideliter. Quia verò etiam Rex eſt, ſeruit, leges, iuſta pręcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti vigore ſanciendo. Sicut ſeruiuit Ezechiaz, lucos & templa Idolorum, deſtruendo. Sicut ſeruiuit Ioſias, talia & ipſe, faciendo. Sicut ſeruiuit Rex Niniuitarum, vniuerſam ciuitatem ad placādum Dominum compellendo. Sicut ſeruiuit Darius, Idolum frangendum, Danieli in poteſtatem dando; & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut ſeruiuit Nabuchodonozor, à blaſphemando Deo, lege terribili prohibendo. In hoc quippe ſeruiunt Domino Reges, inquantum ſunt Reges, cùm ea faciunt ad ſeruiendum illi; quæ non poſſunt facere, niſi Reges. Quis autem, addit paulò poſt, mente ſobrius Regibus ſuis dicat? Nolite curare in regno veſtro, à quo propugnetur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri: Nō ad vos ptineat in Regno veſtro, quis velit eſſe, ſiue religioſus, ſiue ſacrilegus; quibus dici non poteſt, non ad vos pertineat in Regno veſtro, quis velit eſſe pudicus, quis impudicus? Cur enim, cùm datum ſit diuinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniuntur, & ſacrilegia permittuntur? An fidem non ſeruare leuius eſt, animam, Deo; quàm fœminam, viro? Aut ſi ea, quæ non cōtemptu, ſed ignorantia religionis committuntur, mitius vindicanda; nunquid ideo negli-

genda ſunt? Niſi,quod tu uiciſſim hîc clamabis: talem coactionem,non poſſe non uocari crudelitatem: cùm liberum ſit unicuiq; credere,uel non credere. Cui enim Chriſtus uim intulit?quem coegit? & id genus,quæ deblateratis. Ecce habes Paulum Apoſtolum. uel in hoc ſolo agnoſce Chriſtú prius cogentem, & poſtea docentem;prius ferientem,& poſtea conſolantem. Cur enim non cogerentur perditi filij, ut redirent; ſi perditi filij coegerunt alios, ut perirent? Melius quidem eſt,doctrina homines ad Deum colendum duci,quàm pęnę timore uel dolore compelli: Sed cùm omnia Rex Catholicus fecerit, ut ſubditi eius prius docerentur quàm terrerentur; facere quoq; debuit, ut qui doceri noluerunt; cogerentur. Non enim quia meliores ſunt;qui docentes audierunt: ideo illi negligendi ſunt; qui non audierunt. Multis,equidem in Flandria profuit(quod omninò ſcimus)prius timore uel dolore cogi, ut poſtea poſſint doceri, aut quod iam didicerant,opere ſectari. Verbis (ait ſcriptura) non emendabitur ſeruus durus; ſi enim & intellexerit; non obediet. Nam tu quidem percuties eum,uirga;animá uerò,eius liberabis à morte. Meliores quidem ſunt,quos dirigit amor: Sed plures ſunt;quos corrigit,timor. Hîc,profectò,uereor, ne & Eliæ crudelitatem obijcias, qui 250. Baaliticos prophetas,perdidit. Et Ezechiæ qui lu-

coſ, & altaria diſſipauit: Et Petro, qui Ananiam morte mulctauit, & coniugem. Pietas eſt, ô bone quam tu crudelitatem vocas. Fęlicitas eſt eorum populorum, quorum tu miſeram conditioné putas. Quæ enim eſſe furentis maior fælicitas poteſt, quàm ſi nō permittatur perire? Quod maius à Principe præſtari ſubdito beneficium poteſt, quam ſi in pace viuat temporali; & æternam non permittatur amittere? Quod charitatis officium, cùm ita ſtudioſè, ita ardenter, ita libenter ſubiectis ſibi populis Rex præſtet Catholicus; vide viciſſim, quid pro Rege Catholico faciat Deus? Glorificantem me (ait) glorificabo: & confitentem me coram hominibus, confitebor eum coram patre meo, qui in cœlis eſt. Vide quot Regnis imperat? ſed magis etiam vide, quomodo imperat? Ille vitam vitalem niſi cum ſalute ſubditorum, non putat: ſubditi viciſſim, nil cupiunt aliud, quàm vt ſicut Rex ſuus; ſic eos amet Deus. Rem magnam dico. pacem; non pacem, putat; niſi cum pace, Sanctæ Eccleſiæ periclitantis. Vnam & ſolam fælicitatem arbitratur: Orthodoxis, imperare. Hanc illi Dominus eſſe ſummam voluit; qualem ab orbe condito nemini. Europæ, non omninò tertiam partem poſſederunt Romani; Africę, vix ſextam; Aſię, ne quadrageſimam quidem. Americas porrò, Occidentales Indias, Oceani meridionalis Inſulas, ignorabant.

bant. Ita vt ſi orbem vniuerſum in pàres partes diuidas, Catholici Regis Imperium latius hodie patere viginti partibus comperies; quàm olim Romanum. quippe quod in Septentrione, Rheno & Danubio: Ab Occidente, Oceano: A meridie, Atlante mari, deſertisq́; locis Africę. Ab Oriente, Tygri fluuio clauditur. Omnes enim oras Africę, quas aluit Oceanus, ipſe poſſidet. In India cis Gangem propè omnes maritimas vrbes, & inſulas. Malacę quoq; Regnum nobiliſſimum, & in conſpectu poſitas Moluchas Inſulas innumeras. Ad oſtia maris rubri, Zacothoram inſulam. In ſinu Perſico Ormútium. cum plurimis ſimul in Arabia & Perſia nobiliſſimis portubus. Adde Philippinas, nouę Guineę regiones: Americę loca vaſtiſſima, quę Oceanus ambit, interfluitq; ad fretum Magalianis. Vnde Braſiliç petuntur, & his finitimi portus. Vnde Hiſpagnolam, Cubam, Canarias, Terceras, ac deniq́; quoſuis Hiſpanię, Luſitanięq́; regios portus petas. Inde ſi in Siciliam, regnũ Neapolitanum, Mediolanum, & Inferiorem Germaniam perrexeris, vaſtum penè circũdederis orbem; & extra Catholici regis Imperium vix pedem aliquando extuleris. Quæ omnia ideo iſto loco conmemoranda putaui; vt te pudeat, pigeatq́; ſtultitiæ tuę; quod cum eſſe Regem inhonoratum cupias, quem Dominus tanti mole imperij honorauit,

uit; inq; eius poteſtate, tot eſſe propterea regna, tot imperia voluit; quod ipſe in poteſtate Domini mente & animo ſemper fuerit; ſemper eſſe voluerit; & quoſcunq; ad ſuum Imperium pertinere cognouit, eos Chriſto Saluatori uel lucrifacere contendit; uel lucrifactos, conſeruauit. Sed ſudes eſt in oculis ueſtris; bonus, pius, iuſtus, orthodoxus Rex? Trabes eſt in oculis ueſtris; pius, doctus, zelans, uigilans Epiſcopus. Reges, eſſe uelletis inermes: Epiſcopos, elingues: omnes orthodoxos, fungos: ut in ouile Dei tantò licentius graſſari, flammas, undis miſcere; ima, ſummis paria facere; homines, Deo; fortunas, hominibus eripere; nullo reſiſtente, poſſetis. Ita te longè abripit furoris tui & iracundiæ impetus, vt cùm uerum gloriæ iter non teneas; Catholicorum Regum, & Principum, dignitatem & maieſtatem; probris & conuitijs uexare glorioſum putes. At nihil profectò aliud aſſequeris; quàm ut qui hæc tua legerint, audiuerint, cognouerint; hominem te exiſtiment improbum, conuitiatorem, maledicum; & ut impurum detractorem deteſtentur. non uirtute, & rebus geſtis; ſed ſola linguæ petulantia, mentiendi libidine, & di. acitate, ſcurra digna, laudem & nomen quærentem. Sed ſi Hiſpanos improbas; quòd Chriſto & Regi fidem ſeruent; quòd obſequentes, & morigeri uiuant; Gallos certè & Flandros probabis; bella

ex bel-

ex bellis ferentes, quibus ſemper contentio grata πολεμοίτε μάχαίτε; bellaq; pugnęq;, ut ait Homerus. Sed à minis, accedis ad uerbera, machinasq;, muris admoues: & uelut ad feſtorum quandam ſolennitatem, ſic, accedis ad prælia. Equidem ludere te paulò ante dixeram; nunc uideo decretum eſt omnia adijcere uaſtitati.

Ais enim: *Video vos, tantis ſumptibus, tam firma palatia, præſidia & propugnacula erigere, quæ vos Monaſteria appellatis, quæ, ſi verè, vt ſunt, nominari debeāt, Domicilia ſcelerū omnium atq; receptacula, appellari poſſint.*

Lues nefanda telluris ſuccum omnē, ut uideo, maledicentiæ perbibiſti. quæ iram poſſet, uel ipſis mouere cautibus. cęcas habes aureſq;, mentēq;, & oculos. Tu quidem tuam affirmationem, pro fide ueritatis haberi uis; ego impotentis animi argumēta, imò cubilia immortalis odij, ſtatuo. Domakuses, (ut patrię noſtrę uerbum habet) procaſſime Adoleſcens. Latinam enim, & urbanam appellationem barbara tua & inurbana, inſolens & inhumana actio, non meretur. (niſi quod fortaſſe dices. Nil ſapere, non dolens malum eſt.) Poſnanienſem tu domum, arcem munitiſſimam putas: Iaroſlauienſe, & Lublinēſe ædificium eiuſmodi munitionem, tantorūmq; præſidiorum arces, appellas, ut nō ſcholaſticos docere, aut muliercularum peccata cognoſcere, ſed bellum gerere, uelle uideatur. Tu quidem

certa-

certamen ſuſcepiſſe uideris ; ut in ſingulis periodis impudentiſſimo impudentior uidearis . atq; ita nequitiam, ut uirtutem oſtendere contendis . Quid diceres ? quæ uerborum fulmina non mitteres ? ſi Olomucenſe Collegium, ſi Auguſtanum, ſi Romanum, ſi Hiſpanica, ſi Luſitanica Collegia ; ſi Goanas & Mexicanas domos, inſpexiſſes . Non illi præſidia, non propugnacula erigunt recipiendis hoſtibus idonea ; (proditio enim & dubia fides quorum eſſe propria conſueuit, iam oſtenſum eſt) ſed domicilia parant ad eas, quas profitentur litteras accomodata ; & ijs quos erudiendos ſuſcipiunt, nobiliſſimis adoleſcentibus conſentanea . ad temporis diuturnitatem firma, & ſtabilia ; & ad ignis & incendij pericula fugienda, lateritia . Non enim in illis heri, quod aiunt, & nudiuſtertius natas fides docent, aut eas quæ cum ſuis autoribus interitum ſubeunt (vt ſubijt Luterana, Muntzerana, Pacimontana, & id genus perfidia) ſed quæ ea promiſſione nituntur, quam Petro Chriſtus feciſſe legitur, cùm dixit ; Ego rogabo Patrem, vt non deficiat fides tua . Æternæ fidei æterna ſunt, aut ſaltem diuturna domicilia ſtatuēda . qualia ſtatuerũt maiores noſtri, optimi, & ſapientiſſimi viri ; quoties Templa, Collegia, Monaſteria, Cœnobia, Xenodochia, & id genus pietatis, & neceſsitatis domicilia à fundamentis erexerunt . quibus tu profectò,

non

non bonam gratiam habes; ſi piam eorum æmulationem reprehendis,qui maiorum zelum & exemplum imitantur. Te moneo vt memineris, quam ſis inſolentis dicti tui rationem allaturus, cùm te Nobiliſsimi Equites Lublinenſis Collegij autores; Macieiouij, Zebrzidouij, Tenczinij, apud fuſtitudinas, & ferricrepidinas inſulas ad virgas & laqueos poſtulabunt; aut adaſsint ad ſuſpendium.

Quòd verò illa ipſa quæ ædificant Collegia, & monaſteria (tu Palatia & propugnacula vocas) domicilia ſcelerum omnium atq; flagitiorum receptacula, apellas.

Quid iam faciam tibi;vel quid non
Faciam (ait noſter Poeta Leopolienſis Simonides.)

Ægrotem potius quàm ægrotos
Curem? ſimplicior enim hæc labes.
Doleas,ſi ægrotes:ſi ægroto adſis;
Et menti,dolor;& manibus,labor.

Collegia Ieſuitarum ſcelerum ſunt domicilia? Collegia Ieſuitarum ſunt flagitiorum receptacula? Cinæde calamiſtrate, Frons meretricis facta eſt tibi. (Malo crudelis in animaduertendo; quàm in prætermittẽdo diſſolutus videri) ne in tam quidem aperta & manifeſta calumnia potuiſti erubeſcere? Meritò te viperarum progeniem appellabo, ingratam in parentes,& benefacta malefactis rependentem. Os impudens, non es mentitus hominibus;

ſed

ſed Deo, qui in his domibus & collegijs piè colitur. Poſſunt ne eſſe Domicilia ſcelerum, vbi quotidianis precibus numen diuinum placatur? vbi lachrymæ funduntur? vbi ieiunia exercentur? vbi cilicia? vbi flagella? vbi humi cubationes? vbi meditationes? vbi lectiones? vbi conciones? vbi confeſsiones? vbi ſacrę Euchariſtiæ quotidianæ fiunt diſtributiones? Poſſunt ne eſſe flagitiorum receptacula, vbi in horas prope ſingulas fiunt conſcientiarum examina? vbi ſilentij cuſtodia? vbi temporis parſimonia? vbi verbum ocioſum exulat? ſed omnia pietas, humilitas & manſuetudo, ac ſuper omnia timor Domini occupat. Si cupiditatum, carnificinam; ſi flagitiorum, peſtem; ſi fręnum, furoris; ſi iuuentutis, cippos; ſi mortem cupiditatum & laſciuiarum omnium, Ieſuitarum domos dixiſſes; parnm dixiſſes. Si itaq; calumniarum artifex, ſi mendaciorum architectus, ſi conuitiorum faber, ſi totius pietatis & modeſtiæ hoſtis teterrimus vocari non vis; ede ſcelerum & flagitiorum exempla; præfer autorum nomina; nota loca; ſigna tempora. Id quidem ſat ſcio tu præſtare nunquã poteris. vnde conſequens eſt; vt omnium, ab omnibus, mendaciorum & calumniarum pater, mater, frater, faber, ſator, artifex & opifex habearis. Equidem dubito, ne tu fueris illius fabulę Prothomagiſter, quę Poloniã vniuerſã, & ipſam etiam Germaniam

perua-

peruagata eſt; Captos fuiſſe Cracouiæ Ieſuitas in crimine peſſimo, & in medio foro igne emẽdatos; optimi & ſapiẽtiſsimi Regis Stephani imperio. At fabula cito in ſpongiam incubuit; & confiƈta criminatio apparuit. Extant ea de re impreſſę Archiepiſcopi Moguntini ad Stephanum Regem litteræ, & eius reſponſum.

Quòd ais; *Ieſuitas Hiſpano Regi diuinos cultus tribuere, præſertim ſi eo accedat Papæ autoritas.* Falſum eſt. neq; tu id à quoquã vnquam vſquam fiƈtum, neq; piƈtum, neq: ſcriptum oſtendes. Sciunt Ieſuitæ & in omnibus ſcholis ſuis docent, eſſe quendam Deo ſoli debitum cultum; quem latriam Gręci vocant, & aliũ qui mortalibus, quoq; ſine diuini numinis offenſione, tribuitur; quem δουλείαν appellant. Huius generis cultum Regi ſuo tamquam præcellenti tribuũt, vt illud quod Apoſtolus pręcipit, impleant. Deum timete, Regem honorificate. & cui honorem, honorem: cui tributum, tributum. Sed Eccleſię myſteria, ſaƈtaq; Dei narrare auribus indignis, horreſco. At quàm tibi volupe eſt; Principibus Chriſtianis allatrare; omnes ex omni parte carpere, mordere, ſuggillare? quod furentis & rabioſi Cerberi eſſe proprium, diximus. Papa ne ſuam autoritatem adhibebit; vt diuini cultus Hiſpaniarum Regi tribuantur? At ille ne ſibi quidem illiuſmodi honores debitos putat; ſed Deo ſoli tri-

buendos iudicat. Auguſtinus certè proprium ac ſoli Deo debitum cultū, vocat SACRIFICIVM, adeò vt, qui vnquam Principes ſibi ſacrificare, iuſſerunt; per hoc, ſe Deos haberi voluerunt. Si oſtenderis itaq;, quis unquam non dico Ieſuitarum, ſed qui vnquam fuerunt mortalium, qui vel Papę vel Regi Hiſpano ſacrificauit? te à veritate, contra falſitatem ſtare pronunciabo. Quòd multa in hoc genere præteris, bene facis. Te, labore; me, moleſtia leuas. Non ita, crede mihi, ſcribis; vt timeamus ne deſinas. Nil enim aliud agis, quàm loquens, laceras diem.

Admones deinde Senatores, vt meminerint; Hiſpaniarum Regem non longo à nobis interuallo eſſe remotum. Antuerpiam à Dantiſco ſex dierum itinere abeſſe. ficus ex hoſtico recentes importari; & Hiſpanica poma maioribus noſtris incognita, ceterasq; Hiſpanicas & Italicas delicias, in promptu haberi.

Vide mi lector & iudica, vtrum pumex non ęque ſit aridus, atq; iſtius eſt oratio. Verbum iſti, vt baliſta, iacitur. Non dirigit illud; ſed proijcit. Prorſus difficile eſt diuinare, quas iſte choreę partes ſaltitet, ſchema, dixim, phoram an paraphoram? Ego quidem Bachæ bachanti ſimiliorē facio. Non enim exiſtimauit probare ſe poſſe, ſui ſimilibus quòd eſſet hoſtis Eccleſiæ Catholicæ, niſi Regi quoq; Catholico eſſet inimicus. Rectè dixit quidā

Euan-

Euangelicorum ſectam non odiſſem: niſi tam turpes animos,in quibus habitaret; eligeret. Amator patriæ, uindex libertatis, cuſtos legum, ſpes vnica Reipub. quàm tibi volupe eſt, non ſolùm Ieſuitas, ſed omnes etiam Reges, & Leges, omnia in uniuerſum Regna & Prouincias,dente canino lacerare? Tu quidem videri vis, quaſi ſaluam Rempub. cupias. Ego uerò amiſſam puto: cùm vulneribus ſuis,tum his conſilijs & medicamentis; quę, iſto tuo zelo pietateq́; parantur. Vtinam non maius eſſet patriæ noſtræ periculum à tuis Euangelicis Regum & Legum euerſoribus; qui flammas omnibus imperijs,quoquo ſe uertunt,inferunt:ima, ſummis paria faciunt: & tantò nocent efficaciùs, quantò licentiùs; & liberiùs per omnes Reipub. partes,peruagantur. Scit infelix Gallia; experta eſt Flandria: tota ab iſtis euerſa iacet Anglia. Sed cur Turcas & Scytas pręteris? An ab illorum potētia nullum periculum pertimeſcendum putas? An vnus ex illis es, qui cum barbarorum illa colluuie, fœderis ſocietatem,contra capita Chriſtianorū,inierunt? aut fortè Bizantij in illius comitatu fuiſti;qui Baſſæ perſuadere conatus eſt; Euangelicorum fidē non maximo interuallo à Turcico Alcorano diſsidere;eorumq́; eſſe caſtris & armis muniēdam. Non te latere poteſt; Euangelicos fuiſſe, qui in Comitijs,quæ prætereo,particularibus;Contributionem

ad bellum Turcicum conferendam negauerunt;ne quid contra ſociorum, & confœderatorum fidem, facerent. Iam autem oſtenſum à nobis eſt, quanta ſit fidei, religionisq́; inter Euangelicos & Alcoranicos, conſenſio. Verum profectò dixit, qui vos Turcarum præcurſores, ſeu anteambulones appellauit.

Carpis deinde quendam, plenis velis in Suetiam properantem. Alium ſexaginta milliaria tribus diebus emetientem. Accuſas etiam, pacificationem ſibi non traditam ſumentem. Id quidem tu tanta confidentia exaggeras, vt imperitorum inſcitiam tua cauillatione decipias;tibiq́; perſuades,ex is tuis laqueis non euaſuros Ieſuitas, etiamſi pennas ſumerent. At non eſt difficilè diuinare,quos intelligas. Virum quippe laceras, cui matellam porrigere dignus non es;doctrina,pietate,prudentia, eloquendi elegantia, rerum pro Eccleſia geſtarũ gloria admirabilem, Antonium Poſseuinum. Sed nil agis, Maſtigia,vitrea ſphęra non capitur vnguibus.nondum profectò tu videris aſſecutus,vel Obedientiæ vim:vel quantam in rebus gerendis habeat vtilitatem,celeritas. Tibi enim diei fortaſſe breuitas,conuiuijs; noctis longitudo ſtupris,& flagitijs,conteritur. Neſcis Bernardum ſanctiſsimum, cœcam obedientiam à religioſis viris requirere; ne curioſiùs rimentur cùm mittuntur,quę ſint locorum interualla;alterum, an

iſtum

iſtum quem nouimus orbem adire ſint neceſſe: Alpes ſuperare, an Oceanum emetiri? ſyluas an flumina præteruehi? Fideles ſint, an infideles? Chriſtiani, an Pagani: Schiſmatici, an Hæretici, ad quos eũdũ ẽ populi? Quò vocat periclitãtis ſalus; quò vrget Chriſtiana charitas; quò Reipub. neceſsitas impellit; quocũq; mittit legittimę poteſtatis autoritas; infracto eunt animo. nec piratas, nec prædones, nec vrſos, nec leones occurrentes pertimeſcunt. Glorioſa crede mihi obedientia, glorioſa res eſt humilitas, qua ſeſe ipſa etiã palliari appetit ſuperbia, ne uileſcat: ſicut viciſsim accidia, ignauia tẽpeſtas eſt. vt ait ille, rerum omnium maxima. Illa omnibus domibus, illa agris affert grandinem. Illa rebus publicis perturbationem accelerat. Si tibi, ſcelus ſi vitium eſt Obedientia, ſi diligentia, ſi celeritas, ſi robur animi, ſi periculorum contemptio; nõ contendam cum tua pertinacia. Bachę Bachanti, ſi uelis aduerſarier (ait ille) ex inſana inſaniorem facies. Profectò ſi tu vnquam rectè obedire didiciſſes; ſi proximi commodis & vtilitatibus mouerêre; melius nunc poſſes his cupiditatibus imperare, quę te tranſuerſum agunt; deq́; ſtatu mentis dimouent, vt virtutem, vitium; obedientiam, infamiam; celeritatem, leuitatem putes.

Illud verò quod addis, quendam ſibi non traditam pacificationem ſumpſiſſe. Calumnia eſt. Extant mittentis &

tis & pręcipientis litterę, poſſunt codicilli proferri; obſignatę tabulæ oſtendentur; ſi pertinax eſſę perſeueraueris. Sed & huius inſolentis dicti tui, magnas aliquando poenas dabis. Quas, ais? Maiores nō poteris. Senties quam bono viro nocere cōtenderis, fuerisq; infeſtus.

De libello contumelijs et maledictis in gentem noſtram pleno; Tu ais; Ego nego. Tu te non explicas; ego non aſſequor, quid repræhendas; nec ex quo te errore, eruam. Scio magnam à Ieſuitis adhiberi cautionem in libris edendis, & quicquid in lucē proferendum eſt, per manus intelligentiſſimorum hominum, qui iudicij maturitate excellunt, peruagari; omniumq́, ponderum examine ad libram reuocari, conſueuiſſe. Sed ſi patieris me diuinare quid intelligas. Volani tu fortaſſe Zuingliocaluiniſticę ſucciplenę cœnę ſtructoris, & pharmacopolæ Lituanici libellum, contra Euchariſtiam editum, intelligis. quem cùm inter Nobiles ad bellū Moſcouiticum coeuntes ſpargeret; zelantiſſimus Rex Stephanus, audaciam Autoris deteſtatus, in familiari ſermone cum eo, quem non nominas, doctiſſimo zelantiſſimoq́; Sacerdote, cupere ſe oſtendit; vt breui libello, quinam eſſet eius, de qua agebatur, Cōtrouerſię ſtatus oſtenderet; & antidotum ſparſo veneno obijceret. id quod ſine mora factum. Reſponſum Rex optimus approbauit; tu contumelijs

& male-

& maledictis plenum aſſeris. Sed alia in hoc genere, inferius perſequemur.

Quòd delicate & ſuauiter viuant; magnos ſibi deberi honores exiſtimant. Magnifici appellari cupiant: omnibus artibus, multa prædia colligant, & opida exigant: Regni Senatores opibus ſuperent: eoſq; non tantum contemnere, verum iam ad cædem quoſdam & animo et oculis ſuis & libellis deſignare incipiant. Lapides loqueris, ò Calumniator: nec iam deinceps dubitabo, quod ſqua te mors ſquammigerq; protulit Draco. Sed;

Ne mihi, ne quæſo hac in
Turba, exſenſos ſermones ſere;
Qui te mentis captum infament.

Magna certè eſt hæc ſermonis tempeſtas, magna mendaciorum farrago: quam vno hiatu deblateraſti. Ira te infeſta pdit. Nimis illi, laxas habenas. Adoleſcentia tua libidinoſa & intemperans, hæc te venena cogit fundere. & certè, qui ſemel fines modeſtiæ eſt prætergreſſus; eum gnauiter eſſe oportet impudentem. Ad ſingula breuiſsime reſpondebo. & ea erit, crede mihi, ex omni æternitate fluens veritas. Si menſas eorum aliquando, ſi contubernia, ſi victus rationem oculis ipſe tuis inſpexiſſes; aliter ſentires. Delicias illi, voluptateſq;, ut maleficia vitant. Corpus abſtergere mundicijs, probro ducunt. Amictus cultuſq; corporis, omnibus in vniuerſum par eſt: eum vero non mutant; niſi vſu longo ve-

go, vetuſtateq́; conſumptum. Ad cœnaculum, tanquam ad templum, conueniunt; vbi guſtare quicquam fas cuiquam non eſt; niſi prius oratione expiatur. Cum ſilentio autem reſidentibus, condimenti loco lectio ſacra recitatur; edendi verò potádiq́, modus; non ſaturitate, ſed neceſſitate definitur. Alimentis enim vtuntur, vt medicamentis. Binis; ad ſummum ternis ferculis, famem franguunt. In fine refectionis, vota repetunt. Noctis parté, quam tu Veneri & Libero deberi arbitraris, votis & orationibus tribuunt. Aſperiorem autem in victu, veſtitu, lectuloq́; legem ordinariam propterea nullam ſtatuunt; vt omni hominum generi, ætati, naturæ, valetudini, tanquam quędam communis & æquabilis viuendi ratio ſit propoſita; obſeruatione facilis. Iracundiæ moderantur: indignationem cohibent: quod quis inter eos dixerit; iureiurando fortius habent: iuſiurandum verò, periurio deterius vitant. Mendacij condemnatum arbitrantur; cui, ſine Deo non creditur. Qui cæteris præſunt; rem indignam Chriſti ſeruo arbitrantur; abuti viribus poteſtatis, ad contumeliam ſubiectorum. Sed neq; veſte, aut ambitioſo ornatu reliquis eminent. Depręhenſos in peccatis, & ſpe emendationis deſtitutos, à ſua congregatione repellunt. & qui fuerint ad eum modum reliquorum calculis condemnati; infœlicem vt plurimum vitam agunt; aut indigna

digna morte conſumuntur; Id ſi putas ſuauiter delicateq; viuere, neſcio quo nomine luxum, quo diffluis, appellabis. Velles fortaſſe,ut ſicut Bonſij Iapponenſium Deorum ſacrificuli, papyracea tunica tecti, cum deſcripta Amidæ vita,ætatem agerent; aut,vt Synarum Hoxiones, Chiam calidam haurirent. vel,ſicut Braſilienſes, carbonibus ſubiectis in extenſo reti,cubarent: vel,vt Deruiſç Turcici, ſtigmata ſibi inurerent;aut acutis nouaculis corpus fruſtatim diſcinderent.

Ais: *Quòd magnos ſibi honores deberi exiſtimant; & Magnifici appellari cupiunt.* Profectò tu cerebrum in calcaneis depreſsum habes.Nil enim aliud agis, quàm concenturias Sycophantias.

Oſtende mihi Ieſuitam honoribus aut dignitate eminentem,Cardinalem, Epiſcopum, Abbatem, Canonicum, & id genus. Ego tibi oſtendam, leges eorum fixas; quibus ſibi ſcientes & volentes viam intercluſerunt ad omnes honorũ & dignitatum gradus; etiam ſponte oblatos. De Magnifici titulo.apparet te verſatum inter illos non fuiſſe.Patres & Fratres illi ſe inuicem,& Socios; nõ Magnificos appellant. Magnus enim cuiq; honor eſt,integritas ſua.

Ais, *Omnibus artibus multa prædia colligunt, opibus eminent.*

Non quibus tu putas opibus,Mome.Anteit opes

 recti-

rectitudo conſilij: ſolaq; eos ſeruata fides, pietasq; ditat. Cęterum tu, Codrus omnium egentiſſimus videris; qui decem aut duodecim prędia, in tanta Regni vaſtitate à pijs attributa, multa vocas: e quorum reditibus, puto viuunt nō minus perſonę 350. Aut etiam Apoſtolos non acccuſas, quòd precia poſſeſſionū ad pedes proiecta, receperunt? Cur non eodem Apoſtolorum Principem condemnas crimine, quòd ob fraudatum preciū; maritum morte mulctauit, & coniugem? Infirmi animi eſt, ò bone, pati non poſſe diuitias. Sed vos rectè Theologus, fures illos appellauit; qui furto facto, fugientes æque ac illi, qui inſequuntur, clamant: Ecce fur, tene furem. Ita vos: cum & ſacerdotibus, & pupillis, & viduis, & quicunq; modò, veſtro furori reſiſtere nequiuerunt; omnia clepſeritis, harpagaueritis: ob tria vel quatuor p̄dia a pijs oblata, fures & raptores Ieſuitas vocatis. Quod p̄tereà addis quoſdam Senatores ad cœdē deſignaſſe animo & oculis; nondum te ita puto effrontem & impudentem, vt de cœde corporis intelligas. Si cœdem errorum, Schiſmatum, hæreſum, nequitiæ & impuritatis intelligis; Herbam trado, tecumq; pronuncio eos ad eiuſmodi cœdem non Senatores tantùm, ſed omnes in vniuerſum mortales deſignaſſe. ut erroribus omnibus extremam mortiferam plagam imponant; & omnis impietas ſempiternū interitum

ſubeat

ſubeat. Sed in eo quoq;, toto, quod aiunt, cœlo erras; quòd putas nobiliſsimas Regni familias turpi ignominia notatas, quòd ex illis nonnulli malunt inter Monachos, vt ais, quàm inter Nobiles Patricios viuere. Quę quęſo te res? quæ ſpes? qui animi motus ad hæc dicenda incitat? nil vt uideo prętermittis, ut ineptiſſimus uideare. Auxerunt illi ſuam familięq; ſuę dignitatem, non minuerũt: cùm ſeſe in ſummi Regis obſequium tradiderunt, Quęſo te, Matthęus illis ſuis opibus & illa ſua dignitate relicta, Chriſto ſe adiungens, auxit ne an minuit dignitatem? Iozaphat regno relicto, vllamne ignominię notam ſubijt? Vos appello Nobiliſſimi Equites Rozrazeuij, vos Varſeuicij, uos Viſocij, uos Koſtka, vos Melecij, uos Radziminij, uòs Gavvronſcij, qui ſtudia ueſtra ſoli Chriſto dedicaſtis, qui nomina ueſtra inter Ieſuitas retuliſtis, mentem huic Equiti impetrate, meliorem. Profectò is terrenos Reges, & Principes Deo omnipotenti pręferendos putat, ita ut laudes & præmia cõſequatur & familiam illuſtret, qui Regi; vituperium autem ignominiam, turpitudinem ſubeat qui Deo ſoli, ſe addixerit. Caue ne tibi infamię actionem, Nobiliſsimæ familię intẽtent: aut ad pœnam talionis (penè dixeram Tantali, quam ſat ſcio adoleſcentiæ tuę futuram fuiſſe grauiſsimam) condemneris. Non erit tibi difficile, ob tua mendacia,

conuitia,maledicta,infamię notã inurere; & ignobilem, ſi modo is es quem teipſum facis, pronunciare; & è Regni finibus ad exilium condemnare: nil enim te prorſus delectare uidetur, quod aut per naturã fas ſit, aut p leges liceat. Sed ſpero, ut primũ per ętatem iudicium facere poteris, aliter ſenties.

Garris pręterea, cùm ais; *Sacerdotes ætate & morbo confectos, ſedibus ſuis eiectos: villas Parochorum ereptas: Nobiles exterminatos: opimas et fertiles Rutheniæ partes inuaſas; viduas bona relinquere coactas; hæredes patrimonio priuatos: patriam violatam.*

Ad hæc tua tam craſſa mendacia, præ dolore oculum, crede mihi, lachrymia perpluit. ita me piget pudetq́; ſtultitię, temeritatisq́; tuę.

Sed ſi hęc omnia, quę dicis, ita ut dicis, patrant & deſignant Ieſuitę; cùm ita ſis in calumnijs iaciendis intemperantiſsimus; puto non futurũ te fuiſſe temperantiorem, in tam multis & acerbis iniurijs à ſociorum capitibus, depellendis. Ferrum primus ſtringeres; clientellas cogeres, omnia in oppreſſores Ieſuitas armares. Paulò ante libellum editum dolebas; plenum contumeliarum in gentem noſtram, ex quo exterarum nationum homines, exiſtimare poſsint; nullam in Patria noſtra eſſe pietatem, nullam rationem, nullam uirtutem, nullum ordinem. At quid, te teipſo, eſſe poteſt in tuam patriam contumelioſius? in qua ais, vim uiris, uim

fœmi-

fœminis, vim uiduis, uim pupillis, vim liberis, vim hęredibus, vim Parochis, vim Sacerdotibus ſine fręno furoris inferri. Aliter res ipſa, aliter per Dei gratiam loquitur veritas. Mihi quidē iſtum concurſum plorantiū, ac tempeſtatem publicarum querelarum videre, nunquam licuit. Adeſt Rex Sereniſſimus Sigiſmundus Princeps, Deum timens: (maiorem Principis laudem non inuenio) innocētium omnium, & viduarum & pupillorum tutor, & Sacerdotum acerrimus defenſor. Adeſt ſapientiſſimus Senatus: fixa ſunt tribunalia: patent ſubſellia: libera ſunt iudicia: neq; tamen in illis actiones ullę de ui, & iniuria Ieſuitis intentatæ audiuntur; non leguntur, non videntur. Quę te res purum, putum Calumniatorem, & conuitiatorem conuincit; & patriam vniuerſam ea, quam illi affingis, nota liberat? Cur enim ſecures datæ? Cur excitata tribunalia? cur pręſidet iudex? cur carcer ędificatus? cur tot ſupplicia in raptores & oppreſſores conſtituta? Aliter viri boni, tibi diſſimiles, de ſtatu & conditione patrię noſtræ, loquuntur τραχεῖ, vt Homerus loquitur; ἀλλ' ἀγαθη κυροτροφον. Aſpera illa quidem ſed bona iuuenum altrix. Eſt in ea (ſit Dominus benedictus) iuſtitiæ locus: ſunt virtuti pręmia ppoſita: ſunt deſcriptæ ſceleribus pœnę: eſt ſui Senatus ſimilis. In deliberationibus centum; in ſententijs vnum videres: ſtant fixę maiorum no-

ſtrorum

ſtrorum leges: Iudicum integritas incorrupta: diſtrahendarum controuerſiarum ratio expedita: libertas in dicendis ſententijs impunita: ſcelerum animaduerſio parata: verborum lenocinia ſuſpecta: ambitionis ſtudia languida: pecunię ſitis moderata: pactorum, & Conuentorum fides maxima: Amicorum inter amicos conſenſio fidiſſima; inimicitiæ mortales, Amicitiæ immortales, ſimultates remiſſę. bona fide reditur in gratiam: Coniurationis, proditionis, veneni nomina, prodigij loco ducuntur. Populi in vniuerſum, natura fortes armis nati, & ſimplicis veritatis amici. nec aliam ob rem fortaſſe infœlicitate digni, quàm quòd Euangelicorum progeniem, qua perturbantur ac modo non euertuntur omnia, in patrię viſceribus tolerant. Niſi enim vos eſſetis Euangelici, qui patriæ pacem, Regni Maieſtatem, Regis authoritatem, iudicij integritatem, audacia & impudentia veſtra perderetis; integra Deo, ſalua Eccleſię, tuta Reipub. eſſent omnia.

Ais deinde; *Stephanus Rex adiurauit ſe, omni ratione pacem eſſe conſeruaturum inter eos; quorum in religione ſunt diſcrepantes ſententiæ: quamobrem igitur homines noui & peregrini in regnum noſtrum ſunt recepti?*

Equidem apparet multas te in Euangelicorum ſcholis ferulas contriuiſſe: ita omnes illorum artes perbibiſti, vt ſcurras omnes dicacitate tua ſuperare

voluiſſe

voluiſſe uidearis. Iam de reliqua noſtra cogitatione cognoſce. Solenne eſt Euangelicis ex ſcriptura, non ſcripturam; ex non ſcriptura, ſcripturam facere. Tu quas uis, quaſq; libet, leges in patria fixas eſſe uis, quas non libet iugulas. Corczinenſem illam Cõfœderationem ſanctiſſimam, qua vos hæretici ad cœdem & deſtructionem poſtulamini, ut Macedonum caſtra refugis: & quicquid illud eſt, quo de pace Religionis apud VVarſzauiam Interregni tẽpore ſcriptum eſt, ſanctum eſſe iubes. At nos dicimus, illam quam uos Confœderationem uocatis, magis iratorum hominum ſtudia; quàm conſtans Senatus Concilium fuiſſe. An non audiuiſti, qui contra illam Orthodoxorum ſtrepitus, qui Eccleſiaſticorum fremitus, quę Maſouiorum Catholiciſſimorum proteſtationes, & denunciationes extiterunt? Vidimus in Comitijs Coronationis eius qui nobis fœliciſſimè imperat, Sigiſmundi tertij Regis potentiſſimi, multorum Senatorum manus. Vidimus eorum Nunciorum, quos terreſtres vocamus, ex decem Regni Prouincijs ſeu Palatinatibus ſubſcriptiones; quibus ſe pro antiquis patrię legibus, contra Confœderationem illam nouam, Interregni tempore, ſublato metu poteſtatis, contra omnes leges, (ſic enim dicebant) & quaſi capta Republica, caſtris & armis tentatam, inciſam per uim, impoſitam per audaciam, nullo ſcriptam more, ſta-

re, ſtare profitebantur. Sed patiare me hoc tempore in ſuam ſententiam deſcendere. Si pax eſſe debet omnibus Lutericolis,& Caluinicolis,& Volanicolis, & Bieſagicolis, & Budneicolis, & alijs ſimilibus,quos colitis Idolis: Cur pax eſſe non debet,Chriſticolis Ieſuitis? Si patet acceſſus externis non hominibus, ſed hominum monſtris, Stancaris, Ochinis, Liſmaninis, Vigandis, Blandratis, Socinis, Ribaldis; & neſcio quibus Caluini & Bezę Helueticis Synagoniſtis,quos ſe in patriã ſubmiſiſſe gloriantur; quos certè non ſolùm religionis iudices, ſed nec ſocios ad epulas; nec hoſpiteſ in domo habere quiſquam uellet, ſcelerum magnitudine,& conſcientia maleficiorum coopertos;cur non debuit patere uiris optimis & doctiſſimis, Sõnierio Hiſpano, Arturo Anglo, Campano Italo, Roberto Scoto, Stephano Vngaro Societatis eius quàm dilaudas (uituperari enim Catholicum ab Hæretico laus eſt) Sacerdotibus? Illi ſunt, crede mihi,non enim te fallo, ſic Chriſtum mihi in illa die propitium precor, non te fallo: Illi ſunt, non Ieſuitæ; qui quotidiana ſerunt diſcordiarum, bellorum ciuilium inter nos,& contra nos, ſemina: ita etiam viuunt; vt cuticulam ſuam curent; pecuniam colligant; quicquid eſt pretioſi in alicuius Equitis domo, illud ad ſe pertrahant; in fraude,& ex fraude viuant. Cur inquam iſtæ in patriam receptæ

ſunt

ſunt peſtes? cur Confœderationis præſidio, & tutela muniuntur? Ieſuitę Orthodoxi, Catholici, Papiſtæ violantur? Nimis tibi ſumis adoleſcens, oblitus es ætatis tuæ; Intemperantiùs hac tua lingua abuteris & calamo: dum ad te putas legum interpretationem pertinere. vt ij, quos tu uoles, legis pręſidio gaudeāt; quos nolis, & cenſoria tua virgula miniataq; cerula confixeris, non gaudeant. Nimis etiam ingratus es iniuſtusq́, ciuis; qui cùm te ſcias armorum pœnarumq́; periculo liberatum, armatum tamen in reliquos ciues animum retines. Scis cui, magnus ille Cromerus, Confederationē hanc ſimilem volebat? DEM SMEHERRVAGEN; ſic enim loquebatur. hoc eſt pici ſeu cuipiam pinguedini, qua curruum axes inunguntur. Quatuor ſcilicet rotæ, quatuor ſunt huius ſæculi præcipuę ſectę; Luteriſtę, Caluiniſtæ, Trideiſtę, Anabaptiſtæ. quæ ſi Confœderationis lenitate inungantur; citò eo peruenient, vbi fiunt Atheiſtæ. Accipe exēplum. quo olim hæreticorum veſtri ſimilium audacia, ob impunitatem proceſſit. Res horenda dictu; ſed expedit uobis audire; quod auditum, nō poſſitis non damnare. Narrat Epiphanius, Gnoſticos Hęreticos ante ſuam Synaxim promiſcuos concubitus exercere conſueuiſſe; liberorum tamen generationem vehementer auerſatos. Sed ſi pręter ſententiam accidiſſet, vt pręgnans mulier efficeretur, de-

tractum quacunq; ratione ex vtero fœtum, in mortario quodam, piſtillo tundebant; & admixto melle & pipere & alijs quibuſdam aromatibus & vnguentis, ad auertendam nauſeam; omnes fiebant participes contuſi pueri: atq; ſic humanę carnis eſu peracto, preces deinde fundebant ad Deum; & hoc perfectum Paſca, dicebant. Horruiſti, ſat ſcio. ſed eadem fuit; & eſt vbiq, Hæreticorum rabies. conſtat ſibi omnibus in locis illorum impudentia. Si nihil eiuſmodi apud uos adhuc accidit, accidet; niſi veſtra audacia legum ac pœnarum vinculis, conſtringatur. O ſi videri poſſet oculis corporis hæc immanitas, & crudelitas veſtra, qua Corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia, in mille minutiſſimas partes, auſi eſtis conſcindere; ipſi profectò miraremini, quomodo terra ſub pedibus veſtris aperiens os ſuum, uos & ſocios veſtros non deuorauerit. & eam immanitatem, quam in Chriſti corpus exercetis, longe ea maiorem, & immaniorem cẽſeretis; quàm in Corpus infantis admiſſam à Patribus veſtris Gnoſticis hæreticis, audiuiſtis. Nunc ea leuiora putatis quę Dei; grauiora hęc, quæ diximus, quia mortales oculos offendunt. Sed quid vnquam nõ auſi sũt hæretici? quid vos nõ audebitis Euãgelici? ſi modò licebit. verũ nõ ẽ huius tẽpus querelę.

Optas patriæ pacem, Reipublicę trãquillitatem. Hæretici tibi ſunt & Schiſmatici Eccleſiaſticorum

ſangui-

ſanguine iam pridem ſaginati, proſcribendi;quocunq; tandem nomine vocentur. qui dum in Regni viſceribus hærent; cùm errorũ omnium ſunt amici, vt ante dictum eſt, non poſſunt eſſe niſi ſolis non errantibus, hoc eſt Catholicis Ortodoxis, & vt uos vocatis,Papiſtis inimici. Vidit olim idipſum Sigiſmũdus Auguſtutus Rex ſapientiſſimus: Vidit etiam prudentiſsimus Regni Senatus: vidèrunt Prouinciarũ & Nobilitatis Nuntij, in comitijs Parczouień: Quamobrem etiam Decretum ſaluberrimum promulgauit, vt omnes externi & peregrini Euangelicorum Superintendentes & Miniſtri, Regno excedere cogerentur. quod ſi fuiſſet executioni demandatum: hęc,quę vidit mala patria charisſima;non vidiſſet. An tu illam legẽ mortuam putas? niſi quod valdè vereor, ut eſſe magna poſsit eius Senatus authoritas, in quo tanta luxuria adoleſcens, ſententiam capitis audet in viros bonos pronunciare. deq; bello & pace, deq; commodis, & incommodis Reipub. ſtatuere. qui cum Regni ſtatum eſſe vellet in libertate; quem cęteri vix tolerarent in ſeruitute.

Progrederis longius, & ais; *Cur nõ retinetur Authoritas Concilij illius ampliſſimi, & ſacratiſſimi Lateranenſis, quod vetuit: ne in poſterum noua aliqua Monachorum familia, à quoquam inſtituatur?*

Tu quidem iſto loco acutus videri velles; & ali-

quid tandem cum authoritate agere. Iam non poſſum, te nil ſapere, dicere. Sed interim verum eſt: quod oculis tuis nil lætius poſsit occurrere, quàm Ieſuitarum ruinę. Omnia colligis; in omnia te vertis; arma ab aduerſarijs petere non erubeſcis; vt Orator magnus videare. qualis ſi eſſes, magna cloaca eſſes. Iane bifrons, Protee leuiſſime, quas tandem formas induis? Quouſq; iſtũ Gygis annulum torques & retorques? Nulla, vt video, tibi parata gutta, certi conſilij eſt. Tu Pontificis Decreta contempſiſti; cùm Ieſuitas, quos ille probat, odiſti. Tu maieſtatem eius irriſiſti; cùm illum Regi Catholico Philippo, diuinos honores permiſiſſe aiſti. Tu Concilium Tridentinum neglexiſti: cùm ab illo Societatem probatam, improbaſti. & nunc ad Concilium Lateranenſe recurris; in eoq; tuę præſidiũ libidinis ſtatuis. Ego verò, tibi dico Gabaonita, vetuſti ſunt iſti panni, quos vos primi laceráſtis in alijs articulis fidei: cùm omnium ſimul Conciliorum & Decretorum fidem, & authoritatem eleuaſtis. Sed tu, quod Euangelicorum proprium eſſe dixit Vincentius Lirinenſis, prima, taces; extrema, ponis; media, pręteris; omnia inuolis. de ſcriptura, ludum; de ſcriptura, tibi Proteum facis; oblitus quod pulchrè ſcriptum Tertull. reliquit. Sicut ſi in tibiam flaueris, non propterea hominem tibiam feceris, quanquam de anima tua flaueris; ita ſi

verba

verba Concilij, Canonicaq; decreta ſlaueris; non propterea ſeruos Dei damnaueris.

Fili Sathanæ (nam & ipſe è Scripturis, Scripturarum authorem Chriſtum opugnabat) video quòd non intelligis, quàm difficilè eſt Dei ſeruos expugnare, cùm nullum certum habeas Deum: quo nomine nullam tibi pœnam acerbiorem depoſco, quàm vt aliquando tamen intelligas; quàm viris bonis nocere contendas. Si poſſet hæc tua ætas rerum grauitatem ſuſtinere, audires ex me: quòd non ſolùm Lateranenſe Concilium ſub Innocentio tertio, ſed etiam Lugdunenſe ſub Gregorio decimo, repetita conſtitutione diſtrictiùs inhibet. ſic enim legimus. Ne aliquis decętero nouum ordinem aut Religionem adinueniat, vel habitum nouę religionis aſſumat: cęterum tu, quę ſequuntur, hæreticorum more prętereis. In eodem enim ipſo Gregorij decreto illę Religiones perpetuę prohibitioni ſubijciuntur, & quatenus proceſſerant reuocantur; quæ nullam approbationem Sedis Apoſtolicę meruerunt. At IESV Societas non vnius ſed quinq; Pontificum Romanorũ approbationẽ meruit. quod iam antea audiuiſti. Sed ipſius etiã Generalis Concilij Tridentini authoritate, firmata eſt & cõſtabilita. Multa tibi vt video ſunt dediſcenda, omnia diſcenda.

Quæ de dubia Sixti Pontificis in Societatem voluntate

tricaris

tricaris; Id facis, non quòd uerum putes, ſed quòd impudentia abundes. Iratis animis quodcúq; occurrit, telum eſt. Gratulor quòd ſic habeas omnia explorata. fortè nec illud ignoras, quomodo Iuppiter Iunonem duxerit. Iſte quoq; Spiritus non niſi Euangelicorum eſt: qui ſeſe in Dei conſilium admiſſos, & intimæ voluntatis interpretes & Internúcios arbitrantur. Platoni certè iocari videtur, qui ſe omnia ſcire profitetur. Sed hoc tibi perſuadeas velim; ita Ieſuitas eſſe legitimæ poteſtati obſequétes: vt quod Pontifici, quem Chriſti vicariũ agnoſcunt, viſum fuerit, ad Societatis conſeruationem adiungere; vocem eius, tanquam Chriſti loquentis vocem, audiant. tum quod ita Chriſtianos omnes, qui ſe modo eos eſſe meminiſſent, affectos eſſe oporteat; tùm quòd fidem & obedientiam ſuam Romano Pontifici non vulgari illo modo, neq; ſolita ratione; ſed præcipua quadam pietate, & deuotione, quod tu forraſſe neſciuiſti, obſtringunt. Ego verò exiſtimo etiamſi verum eſſet quod prędicás; quòd immortale tuum in ſeruos Dei odium rabiemq; tricipitis Cerberi, ne hoc quidem quod dicis, exſaturaret. Omnium tu vnus cruces ſpectare in eadem area velles. cũ puluiſculo, quòd aiunt, euerſam, extinctam, è rebus humanis ſublatam Societatem cuperes: vt gubernatore ſublato; ſicut de Romano Pontifice loquitur Hieronymus, facilius in Ec-

in Eccleſię naufragio, tu & tui Euangelici graſſentur. Sed aliter Eccleſię ſponſę ſuę Deus prouidit: dedit militem, qui vidit hoſtem: dedit cuſtodē, qui vidit furem. Nihil eſt mali, (ait Cicero) canes ibi quamplurimos eſſe, ubi permulti fures: multa obſeruāda, multaq; ſeruāda ſunt. Non ſit fortiſſimus, & ſapientiſſimus Rex Stephanus, (ſed hîc tu quoq; fluctibus abreptū vociferaberis, homo abrepticie) qui tātum præſidiū conſtitutū putabat ad Reipub. tranquillitatem, in rectè inſtituta iuuentute, atq; ad omnem moderationem conformata; vt, quod ante quoq; dictum eſt, magnis propoſitis pręmijs, uiros doctiſsimos ex intima Italia euocaret, Marcum Antonium Muretum, Flamminium Nobilium, Sigonium, Vrſinum, & Fogletam, Hiſtoricos; Gregorium de Valentia, Toletum, Belarminum, Ieſuitas; Patrem Aquarium Dominicanum Theologum. Tu ais monachos inſtituendæ iuuē-tuti incommodos: at Rex magnus aliter: qui laborem ueniendi fortaſſe ſuſcepiſſent, niſi iſtos tuos, & tui ſimilium, Scyticos fremitus contra alienigenas & externos, cognouiſſent. Neq; tamen propterea deeſſe Rex optimus vtilitati ſubditorū uoluit: ſed illi ipſi iuuentuti Albenſe & Claudiopolitanū, & Varadinenſe in Tranſyluania; Rigenſe & Derpatenſe, in Liuonia, Polocenſe, in Lituania, Collegia erexit; in quibus tenera ſubditorū ætas ad omne of-

ne officij munus Ieſuitarũ ſtudio & opera formaretur. Parum eſt. Vide, quęſo te, uim deſiderij incredibilem. cũ cæteris omnibus, in iuuanda re Chriſtiana ſatis ſuperq; feciſſet, ſibi ipſi ſatis factũ non putabat; niſi etiam è ſepulchro, ea qua liceret ratione rei Chriſtianę ſuccurreret. Teſtamentũ conſcripſit, plenum in rem Chriſtianam, & in ipſos Ieſuitas amiciſsimæ uoluntatis. cuius particulam ex me ſi audieris, ſaxeum te putabo, niſi nobis diuinam aliquam cecineris Palinodiam. Ait ille. At niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra uigilant qui cuſtodiũt eam: proinde ipſum Principem Sigiſmundum, omnes deniq; Senatores, ſtatus & ordines Regni Tranſyluanię oro & obteſtor, per ſalutem animarum ſuarum, Reipub. tranquillitatem; ſimultates deponant, pietatem colant, auitam ſanctam Catholicam fidem recolant; aut ſaltem per me fratremq; meũ introductam poſtliminiò, æquo animo ferant. Collegium Ieſuitarum in Kolozvvar, & Koloſmonoſtor fundatum, boniſq; dotatum; partim iure Regio, partim pecunia & aliorum bonorũ permutatione, bono iure acquiſitum: tueantur, conſeruent, & augeant. Sic etiam Albenſe, Varadinenſe, non ſolùm conſeruent; ſed augeant, ad ipſumq; incrementum adijciant. Alioqui ſi violentas inijcient manus, implebũt modios irę diuinæ, quę retribuit talibus ſecundum immunditiam

tiam

tiam cordis eorum. O diuinum diuini Regis teſtimonium, ô memoriam ſuę in Societatē voluntatis ſempiternam. Stabunt hęc, & in arce locabūtur. Tu, & Actio tua prima, & ſecunda, & tertia, & quotquot voles ſcribere, in Saturni podice ſubmergentur. Tu tamen, Oſce lepidiſſime, in tanti Regis exemplo & authoritate audes ludere? non miror. Ducebatur olim Athenis ad ſupplicium Ariſtides, cui quiſquis occurrebat deijciebat oculos, & ingemiſcebat: non tanquam in hominem iuſtum, ſed tanquam in ipſam iuſtitiam animaduerteretur. inuentus eſt tamen, qui faciem innocentis conſpueret. Deinceps te moneo ne tam improbè oſcites. non eſt hoc promere verba; ſed proijcere. Non magis contemni putes Regem Stephanum mortuū, cùm illuſtria Principis facta dente canino laceras; quàm cùm ædium Sacrarū ruinæ calcantur. quas, quicunq; ſunt religioſi, æquè ac ſtantes adorant.

Porro illorum qui ſceptra tenent,
Haud quaquam eſt violanda authoritas.
Si magnus vir cecidit, magnus iacuit. inquit ille.

Niſi quòd te iamdudum, ſpontanea perdidit ira. Quid de reliquis orbis Chriſtiani Regibus & Principibus dicam? quorum tu nunc os, & oculos erubeſceres. Quò magis illi Regnorū ſuorum pacem amabant; quò magis populorum ſalutem & quietem appetebant; eò magis IESV Societatem, ac

alios viros doctiſſimos omni officio, ac pietate & liberalitate in ſuas ditiones euocabant, fouebant, ornabant: Aude inuictiſſimo & ſapientiſſimo Cęſari Carolo Quinto, notam præcipitis conſilij inurere; qui Panormitanum Collegium exædificauit, in Sicilia: Aude fratri eius Ferdinando; qui Vienneñſe, Pragenſe, & Oenopontanum erexit: Aude Ioanni tertio, Sebaſtiano & Henrico Luſitanię Regibus, exprobrare; qui Conimbricenſe, Vlyſſiponenſe, Goënſe, Iaponenſe etiam & Baſilienſe in India, excitarunt. Facilius profectò efficies, vt te qui audierint, mancipium flagris natum putent; quàm tantos Principes, imprudentes. Non commemorabo Carolum Archiducem Sereniſſimum, Gręcenſis Collegij authorem: Nil dicam, de Magdalena Sereniſſima ſorore eius; quę Hallēſe, erexit: Nil dicam, de Bauarię Principe Catholiciſſimo; qui Monachienſe, & Ingolſtadienſe: Nil, de Philiberto Sabaudię Duce, qui Taurinenſe & Chiamberenſe: Nil, de Florentinis, Ferrarieñ, Mantuanis, Parmēſibus, Lottaringis, Guiſijs, Niuernenſibus, Nieſuieſenſibus Ducibus, & Collegijs afferam; res ipſa loquitur. Quæ ſi non vides, talpa es: ſi uides, & vituperas; ſcurra es: ſi vituperas, & non erubeſcis: iniquus, impius, & conſceleratus detractor es. Dies me deficeret, ſi Principes Eccleſiaſticos Societatis, & Collegiorum authores & fautores enu-

merare

metare uellē. Farneſius, nunquā ſatis laudatus Cardinalis, Collegium in monte Regali in Sicilia; Romę verò magnificētiſſimū templū Societati, erexit. Otto Truchſes, atlas ille Religionis in Germania, Dilingæ: Turnoneń, Turnoni: Lottaringus, Moſsiponti: Boromęus, Mediolani; Corneus, Peruſię; Hoſius, Braunsbergę. Deinde verò, & ipſi S. R. Imperij Electores, & Archiepiſcopi Eccleſiaſtici, Moguntinus, Moguntiæ; Treuerenſis, Treueris; Toletanus, Toleti; Granatenſis, Granatæ: Gneznenſis Kaliſsij. Hos ponè ſequuntur Epiſcopi & pietate & prudentia cōmemorandi. Noſcouius, Pultouię. Valerianus, Vilnę: Konarski, Poſnanię: alij alibi. Sed, nec priuati Nobiles deſunt. Paciecus, Villaretanum in Hiſpanijs; Nouellarenſe, Gonzaga. Lublinenſe quorum opibus ſurrexerit? non ignoras. Sed, nec matronas Nobiles pręteribo. Barchinoneń, Maria Mariques de Lara: Complutenſe, Maria Mendozia: Villagarzinum, Magdalena Viloa: Iaroſlauień, Sophia Palatina Sendomirienſis: Nolanum, Nolæ comitiſſa excitauit. Quę, tu me iſto loco, duabus ex cauſis, commemorare putabis; tùm vt intelligas (ſi modò per animi anguſtias potes) magnam te & difficilem cauſam ſuſcepiſſe repræhendendi eius conſilij; quòd ſummi Conſilij Cæſares, fortiſsimi Reges, ſanctiſsimi Cardinales, intelligentiſsimi Principes, Deo dilecti Epiſcopi, cor-

 dati

dati Nobiles, Matronę deuotiſsimę, pro ſubdito-
rum vtilitate ſuſceperunt: & quæ à pietate Societa-
tis expectabant, vera eſſe exitu probauerunt: & in
eorum potius authoritate, quàm in tuo errore cõ-
quieſcas; tum vt memineris 5000. Nobilium, ad
tuam perniciē in iſtorum Collegijs educari, quo-
rũ profectò nemo, te poterit ſine ſuſpirio aſpicere:
& ſi quiſq; ſemel conſpuerit, eris rana Seriphia ve-
nuſtior: nec cuiuſuis, crede mihi, aquę aſperſione,
hæc vnguenta elues. Certum enim eſt, quòd qui
in vita hominis fidem in Deum ſanctiſsimã putat:
non poterit eum æquanimiter tolerare; qui fidem
ex animis hominũ tollere, Eccleſiam Chriſti ſcin-
dere, miniſtros eius oppugnare, opprimere, ob-
truncare, templa ſpoliare auſus ſit. Qui pudorem
& pudicitiam colit; non poteſt ęquo animo, quo-
tidiana Euangelicorum adulteria, Sacrilegia, ſtu-
pra, inceſtus, meretriciamq; diſciplinam aſpice-
re: & qui proximorum iniurijs, Rerumpub. vaſta-
tionibus doleat; quomodo poteſt iſtos Euangeli-
cos, non hominum; ſed belli ciuilis vultus: iſtas
fauces, per quas non Dominicæ, quòd mendaciter
iactitant, ſed Lapitarũ cœnę & conuiuia tranſeunt,
ſine motu mentis relinquere? Qui Romani Pon-
tificis, Epiſcoporum & Sacerdotum iura, dignita-
tem, libertatem, authoritatē ſanctam apud omnes
haberi vult; ijs quomodo poteſt nõ plus etiã quàm
inimi-

inimicus eſſe, qui ad iſtum ordinem euertendum, ad tollendam Eccleſiaſtici imperij maieſtatem, opprobria, conuitia, maledicta, verbera, cruces, tormenta, ſupplicia, fixa paratаq; ſe habere gloriantur. Admurmuret ad ea dicta, qui uolet; laceret qui uolet. Malo me Eccleſia mortuum, quàm viuũ deſideret. Nec eſt, quod ſis de Scriptoris apellatione ſollicitus. Si ſanitatem deſideras? Quęre, & inuenies. Sanis recta ſalus. Bonũ enim eſt à veritate vinci: cum à quocumq; dicatur, à Spiritu ſancto ſit. Duobus autem in locis impune loqui poſſumus: uel, cùm nobis; vel, cùm veritati obeſt ſilentium. Vellem tibi contingeret; vt eorum aliquando vultum, & oculos, qui hanc tuam Actionem legerint, intuerere. Quoties te mendacem? quoties mente captum, quoties inertẽ, quoties iratum, quoties furentem, quoties cœcum, & impium appellabunt? quoties per illas ipſas feneſtras, quæ legentibus lumen miniſtrabunt, deijcient? optare vt debeas, cum, quem edidiſti libellum ſempiternis tenebris latere; ne ſtultitię & impudentię tuæ extet, apud vniuerſam poſteritatẽ tam illuſtre monumentum. Certè conſideratius conſilium ſuſcipere debueras. Cùm olim Deorũ delubra Teophilus Alexandriæ euerteret, & ſimulachra in lebetes conflaret; vnam imaginem certi alicuius Dei omnium turpiſſimam ſeruari iuſsit; eamq; in loco publi-

publico erexit, vt Gentiles progrediente tempore, ire inficias nō poſſent;ſe tam turpes & inanimatos Deos, coluiſſe. Hoc porrò Teophili factum, Ammonius Grammaticus Gentilis,præ cęteris tulit ægerrimè; quòd illa quoq; tam turpis ſtatua conflata cum alijs non eſſet: ſed ad Græcorū Religionis irriſionem,reſeruata maneret. Sic futurum puto; vt te,& tuos Euāgelicos valdè pœniteat,extare cum hoc libro tuo in oculis vniuerſę poſteritatis, ſtultitię & impudentię tuę non ueſtigia,ſed cubilia. Sed non eſt difficile diuinare,quid metuis. Impendere fortè vides ab hac ſeruorum Chriſti acie, his quos ſeuiſtis Euangelicorum Atheiſmis,interitum.Non enim ita delicatum oculum habere te puto, ut ſi in eū incurrat Ieſuita, ſtatim effluat.Sed hoc agis, hoc conaris; vt pietatem, induſtriam, diligentiam, litteras,quas ſaluis Ieſuitis proſcribere nō potes;cum Ieſuitis ſimul eijcias. imò verò hoc agis,(fortaſſe ne tibi mors moleſta accideret) ne quid poſt te in patria integrum, ne leges, ne litterę, ne pietas vlla relinquatur. Velles ante te Rempub. perire. At iſta quę ſuſcipis,Maximiana ſunt & Iuliana conſilia; quę tantò minus ſuccedent; quantò magis ab illorum abes poteſtate.

De Maximiano ſcribit Euſebius, quòd poſt omnia acerbiſsima tentata contra Chriſtianos cōſilia; cùm non quantum vellet curſum fidei Chri-

ſtianæ retardaret; librum conſcribi iuſſit, cui nomen dedit; Acta Pilati, innumeris mendacijs & contumelijs in Chriſtum, abundantem: præcepitq; vt Pręceptores omnes ac puerorum Magiſtri diſcipulis illum ſuis explicarent; & ipſi diſcipuli memoriter addiſcerent; ac impietatem in Deum à prima ſtatim infantia combiberent. De Iuliano verò his uerbis ſcribit Nicephorus. Ne Chriſtianorum pueri Græcis diſciplinis erudirentur, aut Poetas, ſcriptoresq; eorum legerēt, ſcholaſuè publicas frequentarent; lege cauit. Ne linguis eorum, inquit, acumine perpolitis; facilè diſputatoribus noſtris reſiſtere, & ſacra quidem ſua amplificare, Religionem autem noſtram refellere facilè queāt. Quę crudelitatis & impietatis teterrima conſilia, ſi quod optatis, tu & tui ſimiles in patrię uiſcera inuexeritis; quaſi ſphæra ad cētrū; ſic ad Atheiſmum deuoluentur omnia. Luteraniſmi enim perfectio Atheiſmus ē; & Epicureiſmus. Reliquę ſectę, quorum numerus ad ducentas ferè & quinquaginta aſcendit; uelut gradus quidam ſunt, quibus itur ad impietatis faſtigium; vt dicat impius in corde ſuo; Non eſt Deus. Nemo enim repentè fit ſummus, ait Bernardus; aſcendendo, non volādo apręhenditur ſcalę ſummitas. Sed ego non perorandi, ſed reſpondendi partes ſuſcepi. Hic itaq; reſpondendi finem faciam, vbi tu finem interrogandi feciſti.

ciſti. Veniet, qui tuas calumnias pleno modio verborum refutabit. Ipſi quoq; melliſonorum hymnorum fabri, tuas ineptias ſtatim perſequentur. Interim hic meus ſermo erit tibi correctio, ſi uelis; teſtis autem corã Domino, etiamſi nolis. Vaſa irę, ait Auguſt. ad hoc permittũtur in Eccleſia garrire, vt tanquam de negligentię ſomno excitentur vaſa miſericordiæ: & ſtudio reſpondendi peſtilentibus maledictis, adhibeant curam ſalubribus dictis. Et alio loco; Sicut habet ſuam hilaritatem ipſa cantatio, etiamſi ad eam nemo ſua membra mouet, cui pleno gaudio cantatur; ita ſuum præmium habet admonitio; etiamſi non obtemperat, qui monetur. Hieronymus verò planè rem noſtrã loquitur, cùm ait. Qui Æthiopem inuitat ad balneum, & ſi nigredinem non auferat illi, pecuniam tamen accipit ſibi: & licet in illius candore non gaudeat; certè vel in ſuo lucro lætatur.

Sed te ad extremum Patria chariſſima, vosq; ſapiẽtiſſimi Senatores appellabo; ut iſtiuſmodi Euãgelica conſilia, è patrię finibus in vltimas terras faceſſere iubeatis. Nil enim iſti ſiue Euangelici, ſiue Politici conſiliarij uolunt; quàm vt iterum ad illam barbariem reuoluamur, quę ante ſuſceptam fidem Chriſtianam, in patria noſtra videbatur; vt ſimus & mente, & religione deſtituti. idq; ſingulari Dei prouidentia ſtatutum ſtabilitumq; arbitremur,

mur, vt ſanandis nouis morbis; nouum medicorum genus exſurgeret: nouas remediorum ſpecies; nouam curationis rationem afferret. Non ſit nouitas moleſta, (ait Caſſiodorus) quæ proba eſt. Patet omnibus veritas: nondum eſt tota occupata: omnibus proxima eſt: omnibus ſempiterna. non fit minor, in tempore; non diſtrahitur, à multitudine. non excludit venientes: non deſerit abeuntes. Multùm ex illa, poſteris quoq; relictum eſt. Nullo loco eſt: nuſquam deeſt: nullę in ea anguſtię. nullus in ea defectus. Omnes amatores ſuos ſine inuidia recipit; & omnibus communis eſt. & ſingulis caſta eſt. Nemo dicit alteri. recede; vt accedam & ego. remoue manus; vt & ego amplectar. Omnes illi inhærent; omnes illam tangunt. Cibus eius, nulla ex parte diſcerpitur. nihil de ipſa bibit vnus; quod alter non poſſit: ſi modò perſeuerans adſit fruendi voluntas. Receperunt olim in patria, maiores illi noſtri optimi & ſapientiſſimi viri, Robertos Italos, Paulinos Gallos, Adalbertos Bohemos. nec ignominiam duxerunt ab illis diſcere, quę neſcierunt. Procedente tempore, receperunt & D. Auguſtini Africani, & D. Franciſci Itali, & D. Dominici Hiſpani, & Diui Baſilij Gręci, ſocios, & diſcipulos; quorum alij nos ab impio idolorum cultu, ad vnius veri Dei, & filij eius Domini noſtri IESV CHRITTI cognitionem, verbo & exemplo ad-

duxerunt, alij pietatis & ſanctitatis exemplis, orationumq; preſidijs, Regnum hoc florens & incolume, in confeſſione veræ & indiuiduę Trinitatis, cuius hodie memoriam agimus, ſine vllius erroris admixtione, totis ferè ſeptingentis annis ita conſeruauerunt: vt cùm vicina nobis regna & imperia ab vnitate Ortodoxę fidei, vel Hæreſi vel Schiſmate diſtraherentur; Moſchi & Rutheni, Græco; Bohemi & Moraui, Huſſico; Traces & Bulgari, Machometico; noſtra, per Dei gratiam, Polonia, nullum vnquam malum ex vicino malo traxerit. ſed ſicut roſa inter ſpinas; ſic illa ſeſe, eorum quos dicimus præſidio, virginem caſtam exhibuit Chriſto: & quàm par erat, Deo vero, conſtantiam repręſentauit, vſq; ad hæc infœlicia tempora; cùm Lutherus odium illud Dei omnipotẽtis, (& ſi homines odiſſent quos oportet, etiam omnium hominum peſtem) è vicina Saxonia, ante annos quinquaginta afflauit. Si patriam à minimis initijs in hanc quam videmus amplitudinem & maieſtatem excreuiſſe gaudetis, vt à palude Meotica, ad mare vſq, Balticũ pertingat; & uiciſsim à Boryſthene vſq; ad Oderę littora extẽdatur: tam ſanctis legibus deſcriptam tamq; pijs moribus conſtitutam; cogitare debetis, hæc omnia cum illis quos diximus, dicerem & per illos, niſi militis alicuius fremitum timerem (nam maiora ſunt orationum, quàm armorum pręſidia) nobis

nobis à Domino contigiſſe. Nihil vt eſſe pertimeſcendum videatur, ne nouum hoc Religioſorum virorum genus in patria deſtruat; quod Robertus, quod Adalbertus, quod Auguſtinus, quod Baſilius, quod Frãciſcus, quod Dominicus ędificauit. quin potius, huic qui maiorũ inſtituta pturbant, hæreticorũ cuneo, has Ieſuitarũ acies obiectas & oppoſitas, putate: nõ caſtris, & armis, ſicut olim Cruciferi, quorum adhuc nomen horretis, inſtructas; ſed timore Domini, ſed amore proximi, ſed zelo, ſed bonis litteris, ſed exacta rerum diuinarum ſcientia & cognitione, munitas. Non illi veſtra vobis eripiunt, vt falsò accuſantur; ſed diuina tribuunt. Verumtamen ſi vobis ſpiritualia ſeminant, quid magnum eſt, vt aliquando veſtra carnalia metant? Si res nouas & maioribus noſtris inauditas, ſi fides, ſi mores, ſi ignotas prioribus ſęculis ſanctitates in patriam inferrent, cauſam non dicerem. Sed cùm veterem illũ pietatis & ſanctitatis ſplendorẽ, quaſi quodam ſitu, & ſqua'lore coopertũ; cum illis ipſis, quos fertis in oculis, Hoſijs, Cromeris, Patricijs, Orichouijs, Gorſcijs, Socolouijs, Pouodouijs inſtaurãt; (Libet hac vti ſimilitudine) dum illi altaria & Diuorũ imagines ppoliunt; iſti etiã tẽpli pauimẽta, & viliſsima quęuis periſtromata ppurgare non negligunt; omniaq; ſiue parua, ſiue magna & audẽt & agũt, quęcũq; tandem requirit pereuntis ſalus;

Quid cauſę eſſe poſsit, vt homines ſalutis veſtrę cupidiſsimos, patria pulſos, & omnibꝰ infortunijs dignos arbitremini? nõ video: idq; iterũ atq; iterũ affirmo, qui hęc vobis furoris & amentię plena, Scytica planè, barbaricaq; cõſilia ſuggerũt; eos, nõ tã Ieſuitarũ, quã totius Religionis Chriſtianę odio ardere: quod ſi verbis negãt, re & veritate præſtant. Quorſũ Trinitas venerãda, blaſphemijs lacerata? Quorſum maieſtate ſua, Ieſus Dei viuẽtis, ſpoliatus? Quorſum furta Sacramentorũ, quę populo Dei ſine fronte & mente Euãgelici clepſerũt? Videte, quęſo uos, Templorum parietiñas, Altariũ rudera, Imaginum euerſiones. Videte martyria Epiſcoporũ, exilia Sacerdotum, contemptũ Sanctorũ. Cur in Germania 20. millia tẽplorũ, ſpoliata? Cur in Anglia 10. millia, diruta? Cur in Gallia 300. millia Catholicorum, trucidata? Cur in Flandria in legitimã poteſtatem arma ſumpta; ima ſummis paria facta? Cur, diuerſis in locis, 200. millia Sacerdotum, excarnificata? Cur in Scotia Reges oppreſsi? Cur in Gallia ad cędem poſtulati? Cur à Turcis perfidia, ad uniuerſæ Chriſtianitatis perniciem, petita? Dies deficeret; ſi furores omnes Euangelicorum, & ab illis ſuſcepta conſilia recenſere vellem. quorum hæc ſumma, hic ſolus & vnus ſcopus eſt; vt aut Leges, aut Reges pereant. Sed & in patria noſtra. quorſum Iuriſdictione ſua ſpoliati Epiſcopi? Quorſum ereptę decimæ?

cimę? Quorſum confœderatio extorta? Quorſum Clerus vniuerſus, ad bellicas expeditiones poſtulatus? Quorſum Eccleſiaſtica iura, in exilium acta? Non Ieſuitarum capita, credite mihi Senatores, nec inuiſa multis Eccleſiaſtici ordinis maieſtas, iſtis cõſilijs petitur; ſed per Eccleſiaſticorum latera, Chriſtianæ Religionis iugulum, ad necem poſtulatur, quæ ſi vnam ceruicem haberet, eam certè Euangelici præcidere non dubitarent. Nunc autem quos violenta non poſſunt; lenta quaſi morte conficere cupiunt: vt ſi fieri poſſet, ſine ſenſu doloris pereamos. atq; ad extremum ſine Deo, & ſine Chriſto eius maneamus. ſimusq́; ſicut habet Eſaias; quaſi à principio; quando Deus non dominabatur noſtri; neq; inuocabatur nomen eius ſuper nos; Lelicolæ, Polelicolæ, Piorunicolę, Serpenticolę, Babicolæ. amiſſaq́; luce veritatis, ad baratrum redeamus infidelitatis. Idq; vnum prorſus & agunt & faciũt; iſti malorum turbines, miniſtri; quamuis aliud ore fateantur. Sed rectè eos liber ille Gallicus, Aduertiſſement, religionis peſtes, regum carnifices, legum euerſores, belli ciuilis vultus, vocauit. qui vitam vitalem, niſi in turbata Repub. non putant. quib[9] illicò febris eſt; quando reb. Eccleſiaſticis vngulas inijcere non licet: quos Dei templa; niſi flamma conflagrata non delectant: nec, poſt vinum, quicquã magis exhilarat, quàm toſti ædium ſacrarũ parietes:

rietes:

rietes: qui pactum,non pactum: non pactum,pa-
ctum putant, quodcunq; libet. Glorioſi, ventoſi,
furioſi, linguas habentes lacteas,corda felle plena,
atq; acerbo aceto. Suę negligentes,alienę expugna
tores pudicitię. Homines (ſi modo homines) ſine
re, ſine ſpe, ſine fide, ſine ſede; ore, manu,lingua,
vita omni inquinati.qui,non niſi ſanguine ciuium
ſaginantur:atq; ad omne ſceleſtum facinus, dolos
fraudes, calumnias, cedes, mortes, ita prompti
ſunt, & expediti; vt quicunq; aliquem flentem in
Gallia viderit,ab illis iniuriam paſſum putet. Quos
Orcus,vt puto,(hæc enim ſunt libri verba) ad ſe re-
cipere propterea omnes nō vult,ne illius quoq; lo-
ci pacē & quietē;bellis & motibus infeſtent. Tales
vobis,ô Senatores,miniſtros;tales animarū veſtrarū
& conſcientiarū moderatores obtrudere;eiectis Ie-
ſuitis,cuperet Equiſo iſte: Eques enim in equitem
ita, vt iſte, nunquā eſſe poſſet iniquus. nec tam di-
ra mala,in chariſſimę patrię viſcera,immittere deſi-
deraret. Auertat ab illius capite infauſtū omen hoc,
Deus. Abſit ab hæreditate tua,Chriſte,quā tuo ſan-
guine redēptam per 600. annos in Eccleſiæ ſponſę
tuo gremio fouiſti.Credebāt,ô Senatores,in Deum
maiores illi noſtri ſine Serueto & Gētili; ſine Blan-
drata,&Gregorio;habebātSacramēta,ſineLuthero:
Sumebāt corpus Chriſti ſine Caluino: Baptizabā-
tur,ſine Pacimontano, & Cechouicio: Iuſtificabā-
tur ſi-

tur ſine, Oſiandro; Matrimonio iungebantur, ſinè Ochino; Manebant in Eccleſia, ſine Fricio. aut ſi ipſi ſeducti, nos ſeduxerũt; (quod abſit vt cogitemus) culpa oĩs tua erit ô Chriſte; qui è ſinu ſummi Patris nimis citò deſcendiſti: nimisq; citò Apoſtolos tuos ad Euãgelij prędicationẽ dimittere, ꝓperaſti. Nam ſi iſta Lutheri & Caluini tẽpora expectaſſes; longè, quàm Petrũ & Paulũ, fideliores diuinę tuæ voluntatis interpretes & internuncios habuiſſes. Fruſtra ergo nos Adalbertus & Staniſlaus docuit: fruſtra sãguinẽ fudit. Fruſtra Boleſlai, Caſimiri, fruſtra Iagellones, fruſtra Sigiſmundi, baptiſma receperũt; bella pro Chriſto geſſerũt; tẽpla erexerũt; Collegia cõſtituerunt; ſeruos Dei auxerũt; xenodochia ſuſcitarũt; redditus attribuerũt; Fruſtra Sacramẽta ſumpſerũt. Quicunq; hæc de optimis Regibus, deq; maiorũm pietate exiſtimãt; eãt, ſicut habet Athanaſius, & oſſa eorum è monumẽtis eruãt, ut ab omnibus intelligatur: & illos fuiſſe ſeductores, & iſtos parricidas eſſe. Sed tu Chriſte da mẽtem iſtis hominibus meliorem, ut aliquãdo tãdem doctrinam ueritatis, in Cathedra unitatis collocatã, intelligant. Ego uerò finem facio; ſi uos adhuc monuero, Senatores Euangelicos, & reliquum orbem Chriſtianum; ſtare ſimul non poſſe.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LAVS DEO.

Imprimatur.

Ard. Biandrà Vic. Gen. Neap.

F. Cherubinus Theologus Archipiſcopatus Neap. vidit.

Ioh. Franciſcus Lombardus deputatus vidit.

M. Philocalus Pharaldus Carmelita Dep. vidit

NEAPOLI.

Apud Ioſephum Cacchium. M.D.XCII.